



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. D. N. Benedicti XIV. Declaratio Super Matrimoniiis Inter  
Protestantes Et Catholicos**

**Benedikt <XIV., Papst>**

**Coloniæ, 1746**

**VD18 1439684X-001**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40802**



Th. 2219 1

G.II  
30



B

N

A

P

Ap

S. D. N.  
BENEDICTI XIV.  
DECLARATIO  
SUPER  
MATRIMONIIS  
INTER  
PROTESTANTES  
ET  
CATHOLICOS  
NEC NON

Super eadem Materia

RELATIONES  
ANTISTITUM BELGII  
*Collegii S. Iesu et paderborn: 1949.*  
DISSERTATIONES

*Reverendissimi*

P. D. CAVALCHINI  
ARCHIEPISCOPI PHILIPPENSIS,  
ET QUATUOR INSIGNIUM  
THEOLOGORUM  
*Editio prima in Germania.*

---

COLONIÆ,

Apud JOANNEM WILHELMUM KRAKAMP  
& Hæredes CHRISTIANI SIMONIS  
Anno 1746.





## PRÆFATIO.



Anctissimi Patris Nostri  
**BENEDICTI** Papæ  
XIV. Declaratio au-  
thentica de Matrimo-  
niis , quæ sine formâ  
Tridentinâ in Fœdera-  
torum Belgii Ordinum

Provinciis tum inter Acatholicos , tum ab  
his unâ cum Catholicis contrahuntur , etsi  
ante annos quatuor publici juris facta sit  
Romæ , paucis tamen Germaniæ Theolo-  
gis haëtenus innotuit ; primum nunc typis  
Ultramontanis prodit in lucem Germaniæ ;  
quorum precibus petita , quorum labori-  
bus procurata sit , quid Romæ actum , ut ,  
quæ decidenda erant , pertractarentur , quo-  
modo Decretum Trident. concinnatum sit ,  
quomodo cum ea Declaratione concilietur ,

## PRÆFATIÖ.

congruum putavi Prolegomenō loco ediscerere; & cum prima statim pagina loquatur de Visitatione S. Liminum, de Sixtina Constitutione, de S. Congregatione Concilii, de his etiam nonnulla præfari oportuit.

Sixtus V. Constitutione XV. cuius initium: *Romanus Pontifex anno 1585. publicata*, omnes Episcopos ad S. limina Apostolorum statis temporibus visitanda evocat, ut eorum opere & adjumento ubique locorum commissi sibi Gregis vultum agnoscat, morbos intelligat, curationes adhibeat, provideatque congrua statui Ecclesiarum, impeditis autem præcipit ad S. Gregis curationem spectantia per alium fidelissimè apud S. Sedem exponere;

Congregationem Cardinalium S. Concil. Trid. Interpretum à PIO IV. institutam idem SIXTUS per Const. *Immensa*, Episcoporum S. limina visitantium postulata iussit audire, expedire dubia, Ecclesiæ disciplinam per orbem totum promovere; peritos S. Theol. Juris Pontificii Casareique, & rerum gerendarum usu pollentes Consultationibus adhibere, ut Dei gloria, animarum saluti, Justitiae & aequitati consentanea decernantur.

Illustris. Irensius Episcopus ut laudatæ Constitutioni morem gereret, ante annos octo

## PRÆFATIO.

octo de statu suæ Diœceseos rationem Ro-  
mæ reddidit , sed dubiis onerataam neque  
levibus , neque paucis , binario licet nu-  
mero conclusis , quibus decidendis ipse sibi  
neutiquam sufficere videbatur , ne præcoci  
sententiâ definitionem S. Sedis anteverte-  
ret , aut jam datis Sanctionibus contrai-  
ret; omnia in eo vertuntur , quæ sit vis &  
significatio verborum Decreti Trid. *de Re-*  
*for. Matrim.* quo Clandestinitas damnatur.

Semper alias à primis sæculis Ecclesiæ  
usque ad decimum sextum damnata , gra-  
vissimis etiam poenit pœnis præter mortalis peccati  
culpam coërcita fuisse clandestina Matri-  
monia nemo historiæ Ecclesiasticæ peritus  
negat , penitus autem ea abolere , irritaque  
decernere Trid. Synodus seriò prima ten-  
tavit.

Duo quærebantur: Primum erat , si ne  
apud Ecclesiam facultas irritandi illa Ma-  
trimonia , alterum , an omnino è re sit ta-  
le Decretum toti Ecclesiæ præscribere , &  
vinculum injicere libertati ; illo tanquam  
dogmatico facile composito , dum *duobus*,  
*tribusve solis dissentientibus* cæteri omnes  
ducenti ferè quadraginta , Didaco Payva  
teste, in negantes Anathema conclamabant,

## PRÆFATIO.

hoc in utramque partem tam acriter dispu-  
tatum, ut ægrè admodum ad Decreti for-  
mam, quam Pontifex volebat, Galliæ  
Episcopi omnes, & Martinus Rithovius  
Iprensis, & alii urgebant, concinnaretur;  
obstabat magna Episcoporum pars non con-  
temnendo Theologorum numero suffulta,  
quorum chorus agebat P. Jac. Laynez S. JE-  
SU Præp. Generalis acerrimi ingenii & judicij  
Theologus; immò & illi, quibus irritan-  
da videbantur, stipabant suffragium suum  
limitationibus novis, invisis, intricatis,  
donec tandem ad ulteriora Reform. capita  
progressuri in id convenienter, ut remoto  
molesto illo rationum, limitationum appa-  
ratu quisque Patrum sententiam suam vo-  
ce: placet vel: non placet, aperiret, sic de-  
nique in partem irritantem penè omnes  
coiere.

Decretum autem in hæc verba concep-  
tum legitur Trident. Sess. 24. de Reform.  
Matr. c. 1.

Tametsi dubitandum non est, clandestina  
Matrimonia libero contrahentium consensu fa-  
ctarata & vera esse Matrimonia, quandiu Ec-  
clesia ea irrita non fecit, . . . . nihilominus S.  
Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper de-  
testa-

PRÆFATI.

restata est, atque prohibuit, verum cum S. Synodus animadvertisat, prohibiciones illas propter hominum obedientiam jam non prodesse, & gravia peccata perpendat, quæ ex iisdem clandestinis conjugiis ortum habent, præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore Uxore, cum qua clam contraxerant, relictâ, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt, cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco S. Later. Concil. sub INNOC. III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiis in Ecclesia inter Missarum solennia publicè denuntietur, inter quos Matr. sit contrahendum, quibus denuntiationibus factis si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrim. in facie Ecclesiae procedatur, ubi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto vel dicat: Ego vos conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciae ritum, .... qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi,

## PRÆFATIO.

rochi, seu Ordinarii Licentia, & duobus vel  
tribus testibus Matrimonium contrahere at-  
tentabunt, eos s. Synodus ad sic contrahe-  
dum omnino inhabiles redit & hujusmodi  
Contractus irritos & nullos esse decernit, pro-  
ut eos presenti Decreto irritos facit, & an-  
nullat. Insuper Parochum vel alium Sacer-  
dotem, qui cum minore testium numero, &  
testes, qui sine Parocho, vel Sacerdote hujus-  
modi Contractui interfuerint, nec non ipsos  
Contrahentes graviter arbitrio Ordinarii pu-  
niri præcipit.

Decretum ita concinnatum ne iis pa-  
teret incommodis, quæ tantis eorum,  
qui legis rogationi intercesserant, inter-  
pellationibus materiem præbuere, pro-  
mulgandi modus adjicitur planè singu-  
laris, neque alias in ullo Pontificio, aut  
Conciliari decreto usitatus, quem ex eo-  
dem Trid. loco huc transcribo:

Ne vero hac tam salubria præcepta quen-  
quam lateant, Ordinariis omnibus præcipit  
(s. Synodus) ut cum primùm potuerint, cu-  
rent hoc Decretum populo publicari, ac ex-  
planari in singulis suarum Diœcesum Paro-  
chialibus Ecclesiis, idque in primo anno quam  
sepissime fiat, deinde vero quoties expedire  
uide-

## PRÆFATIO.

viderint. Decernit insuper, ut hujusmodi  
Decretum in unâquaque Parochiâ suum robur  
post triginta dies habere incipiat, à die prime  
publicationis in eâdem Parochiâ factæ nume-  
randos. Sic Concilium.

Quæ Heterodoxis Petro Suavi Polano  
in Hist. Trid. Conc. à Kemnitio, Gentileto  
in illius Examine, à Carolo Molinæo in  
Consilio super actis ejus Conc. contra hoc  
Decretum obmota sunt, ceu luculenter sa-  
tis confutata & ab hujus libri Argumento  
aliena omitto, certè non Matrim. Sacra-  
mentum, sed Clanculariam profanámque  
ejus tractationem Ecclesia exhorruit; onus  
coram Sacerdote contrahendi iis non im-  
posuit, quibus nullum tunc Sacerdotium  
erat; nihil novum hâc qualicunque liber-  
tatis Matrimoniorum circumscriptione si-  
bi sumpsit; aliis non àuctor per Evangelium,  
sed Ecclesiæ primorum temporum authori-  
tate constitutis impedimentis novum no-  
vis ex causis (quas ipsæ etiam Protestantium  
Respublicæ & Provinciæ agnoscent,  
Edictis confirmant) jure minimè novo ad-  
didit. Ut Sacrorum Catholicorum exfor-  
tes hujus etiam legis exfortes censeret, pru-  
dentia & charitate permota est, non Edi-  
cta Pacificationis, nullius Laicæ potestatis

## PRÆFATIO.

authoritas , neque numerus eorum , qui Protestantes , & Reformati dicuntur , hanc iis immunitatem vindicavit ;

Non causas inquiero , quæ publicationem Conc. tardaverint post Bullam PII IV., quidquid alibi terrarum actum fuerit , in Belgio , quod lucubrationes hujus Libri præcipue spectant , Religiosissimis , & Catholicis Rege dignis admodum curis Philosophi II. Hisp. Regis , tum & Episcoporum pietate Concilium publicatum est . Mechliniensi Synodo sub Cardinali Granvellano tunc Archiepiscopo Anno 1570. simpliciter sine ullâ protestatione omnia & singula à S. S. Trid. definita palam recipiuntur . Jam Ultrajectina & Cameracensis Anno 1565. obedientiam Decretis præstiterant , hæc sub Max. de Berghes Archiep. Decreta omnia sive ad Doctrinam sive ad reformationem pertineant , planè atque integrè servari debere , vimque & autoritatem inviolabilem habere declarat , illa sub Frid. Schenckio omnium & singulorum Trid. Decretorum observantiam præcipit . Tres illas Belgarum Sacras Metropoles Ecclesiæ inferiores secutæ sunt .

At verò satisne ea formâ , quâ Synodi Patres publicandum voluere Decretum de Ref.

PRAEFATIO.

Ref. Matr. reipsâ publicatum sit; &, hoc concessō , an mutatā licet Rep. Batavorum ( quam maximi nominis Author H. Grotius in *l. de antiquit. Rp. Bat.* à Celtis & Cattis ad suum 17mum saeculum invariata eandemque alium prorsus in scopum asserit ) Romano - Catholicâ fide ex Provinciis proscriptâ, publicâ Sacrorum administratione Edictis vetitâ , Pontificis legibus constantissimè spretis tota retrò posteritas eo adhuc obstricta teneatur , adeoque denuo coram Parocho Cath. contrahere debeant Conjuges ad Fidem conversi ; an , quæ mixta conjugia dicuntur , Trid. legi conformanda sint ; exceptio si admittitur , locumne magis , an personam sequatur , hæc maximis Theologis hactenus tam incerta visa sunt , ut nemo unus esset , qui audacter in alterutrum littus appellere auderet vel omnia rata dicendo , vel ad fornicarii concubitus tenebras omnia secùs contracta damnando , hoc lex ipsa Trid. præcipere practicis quibusdam axiomatisbus DD. protecta , qualia sunt : *in dubio standum pro Lege.* Nemini sua culpa patriconatur . *Sacramentum periculo nullitatis exponi non debet &c.* illud charitas temperationem severitatis continuò inculcans exigere videbatur.

RQ-

## PRÆFATIO.

Romam scrupuli Theologos pepulere ;  
sciebant certius, tutiisque se locuturos ,  
acturisque , si Româ Rescripta venerint.  
Alios secutus est Irenensis Antistes , aliis  
prævivit. Apud S. Congregationem Interpre-  
tum Concilii , ad quam causa tota secun-  
dum Sixti Const. Immensa pertinet,toties re-  
petitis Consultationibus fatigatam serio di-  
ceptatum est , quid respondendum.

Magnus Authorum numerus , Histori-  
corum , Jurisperitorum , Theologorum ex  
Germania , & Belgio diligenter consulitur,  
ut quod statuendum fuerit , eorum in nomi-  
nibus , numero , argumentis ornetur , ful-  
ciatur ; hâc eminentissimorum PP. ejus  
Congr. Assessorum Consultorumque pru-  
dentiâ docemur , Romam velut ad arcem  
Sacræ eruditionis , ut omnium Gentium  
homines , ita libros ab extremis finibus  
terrarum magnos parvisque concurrere,  
ut quâvis in mundi parte dubium aliquod  
emergat , arma ex popularibus scriptori-  
bus præstò habeant , quibus expediantur  
seu juris seu facti quæsita , & Itali cum sint  
ipsi , non Italico tamen , sed Germanorum ,  
Belgarum , aliarumve gentium ore loqui  
videantur.

Libri

PRÆFATIO.

Libri Decretorum S. Congregationis  
Conc. eam in rem per Illust. Calvalchini  
studiosissimè ab initio sæculi superioris ad  
hæc nostra usque tempora pervolutantur.

At neque hoc satis erat : Episcopis Bel-  
gii dandum censuere id negotii , ut , quid  
quisque nōset usu ab eas gentes obtinere ,  
Romam scriberetur. Iussis accuratissimè  
obtemperatum est. RELATIO doctissi-  
ma Mechlin. Archi-Episcopi non tam Pur-  
purā Card. quàm Sacrâ eruditione & Pa-  
storali curâ eminentissimi Viri, aliorūmque  
Episcoporum Belgarum difficillimæ quæ-  
stioni lucem attulit. Illastr. Archiep. Phi-  
lippensis Romæ argumentum totum in  
utramque partem egregiè versavit.

Sic instructa jam & illustrata quæstio in-  
signibus quatuor Theologis committitur.

Primus est Abbas Cisterc. Ord. Joachi-  
mus Besozzi , jam Cardinalium Sacro cœ-  
tui per egregia sua merita insertus.

Alter Doctor Thomas Sergius S. officii  
Consultor.

Hos duo solidâ eloquentiâ uberrimi So-  
ciet. Jesu Doctores, Theologi sequuntur  
Do-

PRÆFATIO.

Dominicus Turano . Ægidius Maria Gitt.  
lii; neutquam his maximis viris proposi-  
tum fuit inter se de palmâ contendere; sa-  
lutem spiritualem populorum , Episcopo-  
rum , Pastorumque cæterorum sollicitudi-  
nem , Sanctissimi Patris , & S. Congrega-  
tionis exspectationem , piâque vota Theo-  
logorum omnium hanc molestam , per-  
plexamque quæstionem Apostolico oracu-  
lo profligatam cupientium pro scopo ha-  
bebant , in quem omnes vires suas exerce-  
rent.

Et verò quam hunc felicitè assedit  
sint eruditione ad prudentiæ normam tem-  
peratâ , æqui lectoris judicio relinquitur,  
neque alieni à Romano-Cath. communio-  
ne Theologi diffiteri poterunt omnia ab  
his methodicè librata , Ecclesiæ Catholi-  
cæ principiis , quibus innutriti sunt , opti-  
mè adaptata esse , & ad civilem sub com-  
muni Fœderatorum Ordinum supremo  
principatu societatem Christianâ pace fo-  
vendam , promovendamque disposita ; pro-  
vocati ad hanc operam eodem veritatis  
amore , viâ non omnino eadem concur-  
runt , quò argumenti ab Ènis Cardinali-  
bus propositi ratio vocabat , valida pro-  
nuntiant conjugia Batavorum Protestan-  
tium

## PRÆFATIÖ.

tiū & Reformatorum patriis legibus con-  
formata; mixta quæ dicuntur, detestan-  
tur uno ore, ut debent, atque in eo Pa-  
trum, qui primis Ecclesiæ temporibus vi-  
xere, severitatem imitantur, quos inter  
Ambrosius, ut alios omittam, cum Conju-  
gium, inquit, velamine Sacerdotali & be-  
nedictione sanctificari oporteat, quomodo po-  
test Conjugium dici, ubi non est fidei concor-  
dia? neque ii Catholici, ut plurimum,  
longè absunt ab eo incommodo, quod  
Apostolum permoverat, ut vetaret cum in-  
fidelibus jugum ducere, si Catholicorum hy-  
pothesi inhæreatur.

Solus P. Giulii magno rationum & au-  
thoritatum, quod ajunt, pondere firmare  
ausus est ejusmodi Conjugiorum secundūm  
leges Patrias Contractorum valorem, &  
praxin Episcopi Castoriensis jactis in pri-  
mā suā disceptatione principiis trium alio-  
rum Theologorum confessione firmatis  
consentaneam dicere; peroravit causam  
suam, neque porrò erit dubio locus, ex  
quo maximus censor & arbiter ingeniorum  
**BENEDICTUS XIV.** Supremus Ecclesiæ  
Catholicæ Pastor optatissimam hanc De-  
clarationem pronuntiavit, quam velut cer-  
tam Regulam & normam in hujusmodi ne-  
gotiis

- PRÆFATIO.

gotiis præscripsit, omnibus, quicunque in  
Belgio positi sunt regere Ecclesiam Dei, ejus-  
que Gregem pascere.

Quid in annum ab Iprensi Consultatio-  
ne quintum, nempe sub finem anni 1741.  
decisionem protraxerit, ipsa per se Decla-  
ratio satis insinuat.

Sic paterna Sanctissimi Patris Nostri pie-  
tas hanc nubem dubitationum Belgicarum  
dispulit, pari Zelo cuiuslibet gentis Pasto-  
ribus & Doctoribus vias rectas ostensura,  
si hujusmodi difficultatibus impletantur,  
& S. Sedem quâ debent, confidentiâ con-  
sulant.

Tandem ut omnia hoc libello contenta  
uno quasi conspectu cernantur, & pleniùs  
consteret, quâ methodo Romana Ecclesia  
utatur, ut gravioris momenti quæstiones  
non præcipitato, & fortuito motu, sed  
operosâ cum deliberatione, multoque con-  
silio decidantur, hanc Synopsin adnecto:

1. Declarationem Pontificiam toti operi  
præter Ordinem temporis præfigo.
2. Exhibitetur Iprensis Episcopi Consulta-  
tio prolixè diductis in utramque partem  
mo-

PRÆFATIO.

momentis ab Historiâ, Jure, Theologiâ sumptis per quendam ex Illustrissimis S. Officii Assessöribus illustrata Eminentis Cardinalibus oblata, ut *an*, & *quid rescribendum*, deliberent. à p. 1. ad 17.

3. Missâ jam ab Em. Card. Archiep. Mechlin. Relatione, missis ab Ep. Ipr. Casibus mota dubia tangentibus ( quod utrumque S. Congregatio voluerat ) denuò prolixè instructa causa proposita S. Congregationi, ut , *quid respondendum*, decernat. à p. 17. ad 24.
4. Doctissima Relatio Em. Card. de Alsat. à p. 24. ad 40.
5. Adduntur doctissimæ Annotationes Illustrissimi Archiep. Philippensis. à p. 41. ad 87.
6. Ab eodem Prælato ex Libris Decretorum collectæ ad Causam conferentes Resolutiones tredecim S. Cong. Conc. à p. 87. ad 106.
7. Proponitur Consilium Emin. Card. Beozzi tunc Abbatis S. Crucis. à p. 106. ad 138.

† †

8. Con-

**PRÆFATIÖ.**

8. Consilium P. Thomæ Sergii S. Officij  
Consult. à p. 139. ad 148.

9. Consilium P. Dominici Turano Soc.  
Jesu. à p. 149. ad 213.

10. Consilium P. Ægidii Mariæ Giulii Soc,  
Jesu à p. 213. ad 298.

*Sequuntur jussu S. Congreg. date Relatio-  
nes Episcoporum BELGII.*

11. Relatio Ep. Brugensis. à p. 299. ad  
305.

12. Relatio Ep. Gandav. 305.

13. Relatio Ep. Antv. à p. 306. ad finem.

14. Ob rerum Theologiam , aliásque di-  
sciplinas spectantium varietatem huic  
Editioni indicem pro libri mole copio-  
sissimum addidi.



**D E-**



# DECLARATIO SS.mi D.N.BENEDICTI P.P. XIV.

Cum instructione super dubiis respici-  
entibus Matrimonia in Hollandia &  
Belgio contracta, & contrahenda.



Atrimonia, quæ in locis  
Fœderatorum Ordinum  
dominio in Belgio subje-  
ctis iniri solent sive inter  
Hæreticos ex utraque  
parte, sive inter Hæreti-  
cum ex una parte Vi-

rum, & Catholicam Fœminam ex alia parte,  
aut vice versa, non servatâ formâ à sacro  
Tridentino Concilio præscriptâ utrum va-  
lida habenda sint, nec ne, diu multumque

*Declaratio SS.mi D. N.*

disceptatum est animis hominum ac sententiis in diversa distractis : id, quod satè lube-rem anxietatis, ac periculorum fementem per multos annos subministravit, quum præ-sertim Episcopi, Parochi, atque illarum Re-gionum Missionarii nihil certi hac super re haberent, nihil verò inconsultâ sanctâ Sede auderent statuere, ac declarare, cum autem proximè evolutis annis in tam ancipi gravius causa Apostolicæ Sedis Judicium ve-hementius exposceretur, urgeretque id im-primis vigilantissimus Irenensis Episcopus, dum pro debito officii sui, & suâ erga Beati Petri Cathedram observantia de concreditæ sibi Ecclesiæ statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendūmque omnino esse tam prolixæ dubitationi finem gravissimis verbis ac rationibus persuaderet ; **CLEMENS XII.** id temporis Romanus Pontifex, qui rei gra-vitatem, quanti oportebat, æstimaret, sa-cræ Congregationi Eminentiss. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in manda-tis dedit, ut de tota Controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem sacra Congregatio quam accuratissime procedere commissæ sibi cognitionis initium ab exquisitis alio-rum quoque Belgii Episcoporum Relationi-bus,

Benedicti Papæ XIV.

bus, atque sententiis, quas desuper explosari fategit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit præstantes aliquot hujus almæ Urbis Theologos, quibus injunxit, ut rem totam, eâ, quâ decet, maturitate discuterent, suamque opinionem proferrent. At dum hæc maximè agerentur, supercedendum per aliquot menses fuit ab istiusmodi causæ expeditione propter viduitatem, quæ incidit Romanæ Ecclesiæ, donec ad summum Pontificatum feliciter evenitus Ssmus D. N. BENEDICTUS XIV. inter primas regiminis sui curas, causæ hujus cognitionem repeti jussit à memorata sacra Congregatione Concilii, quam voluit coram se haberi, ut auditis Eminentissimorum Patrum sententiis ipse demum, Quid hâc in re tenendum foret, supremo suo pronuntiaret Oraculo. Cum igitur Congregatio præfata sub diem 13. Maii currentis anni 1741. coram Sanctitate sua fuerit habita, idem Sanctissimus D. N. spatio aliquo temporis ad rem secum expendendam accepto hanc nuper Declarationem & instructionem exarari præcepit, quâ veluti certâ regulâ ac normâ omnes Belgii Antistites, Parochi, earumque Regionum Missionarii,

†† 3

& Vi-

*Declaratio SSmi D. N.*

& Vicarii Apostolici deinceps in hujusmodi negotiis uti debeant.

Primò scilicet quod attinet ad Matrimonia ab hæreticis inter se in locis Fœderatorum Ordinum dominio subjectis celebrata, non servatâ formâ per Tridentinum præscriptâ licet Sanctitas sua non ignoret, aliàs in casibus quibusdam particularibus, & attentis tunc expositis circumstantiis sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse. Æquè tamen compertum habens nihil adhuc generatim, & universè super ejusmodi Matrimoniiis fuisse ab Apostolica Sede definitum, & alioquin oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, & plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce Matrimoniiis sentendum sit, declarare negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulò libratis, declaravit, statuitque Matrimonia in dictis fœderatis Belgii Provinciis inter Hæreticos usque modo contracta, quæque imposterum contrahentur, etiamsi forma à Tridentino præcripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obsterit Canonicum impedimentum, pro validis habenda esse,

ad cō-

Benedicti Papæ XIV.

ad eoque si contingat utrumque conjugem ad Ecclesias Catholicæ sinum se recipere, eodem, quo anteà conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiam si mutuus consensus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur, sin autem unus tantum ex conjugibus, sive masculus, sive fœmina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

Quod verò spectat ad ea conjugia, quæ pariter in iisdem Belgii Provinciis absque forma à Tridentino statuta contrahuntur à Catholicis cum Hæreticis, sive Catholicus Vir hæreticam fœminam in Matrimonium ducat, sive Catholica fœmina hæretico viro nubat, dolens imprimis quam maximè Sanctitas sua eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus connubiis, quæ S. Mater Ecclesia perpetuò damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, & prorsùs sibi abstinentiam non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus poenis Catholicos coercere student, ne sacrilego hōc vinculo se se hæreticis conjungant, Episcopos omnes, Vicarios

*Declaratio SSmi D. N.*

carios Apostolicos , Parochos , Missionarios , & alios quoscunque Dei & Ecclesiae Fideles Ministros in iis partibus degentes seriò graviterque hortatur , & monet , ut Catholicos utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis , quantum possint , absterreant , easdemque nuptias omni meliori modo intervertere , atque efficaciter impedire satagant . At , si fortè aliquod hujus generis Matrimonium , Tridentini formâ non servatâ , ibidem contractum jam sit , aut imposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat , declarat Sanctitas sua , Matrimonium hujusmodi , alio non concurrente Canonico impedimento , validum habendum esse , & neutrum ex conjugibus , donec alter eorum supervixerit , ul latentius posse sub obtentu dictæ formæ non servata novum Matrimonium inire ; id verò debere sibi potissimum in animum inducere conjugem Catholicum sive virum sive fæminam , ut pro gravissimo scelere , quod admisit , pœnitentiam agat , ac veniam à Deo precetur , coneturque pro viribus alterum conjugem à verâ fide deerantem ad gremium Catholicæ Ecclesiae pertrahere , ejusque animam lucrari , quod porrò

porrò ad veniam de patrato crimine im-  
petrandam opportunissimum foret , sciens  
de cætero , ut mox dictum est , se istius  
Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

Ad hæc declarat Sanctitas sua , ut quid-  
quid haçtenus sancitum , dictumque est de  
Matrimoniis sive ab hæreticis inter se , si-  
ve inter Catholicos , & hæreticos initis in  
locis fœderatorum Ordinum dominio in  
Belgio subiectis , sancitum , dictumque in-  
telligatur etiam de similibus Matrimoniis  
extra fines dominii eorundem fœderato-  
rum ordinum contractis ab iis , qui addi-  
cti sunt legionibus , seu militaribus copiis ,  
quæ ab iisdem fœderatis Ordinibus trans-  
mitti solent ad custodiendas muniendasque  
arces conterminas , vulgo dictas di Barriera ;  
itâ quidem , ut Matrimonia ibi præter Tri-  
dentini formam , sive inter Hæreticos utrim-  
que , sive inter Catholicos & Hæreticos  
inita valorem suum obtineant , dummodò  
uterque conjux ad easdem copias , sive le-  
giones pertineat ; & hanc declarationem  
vult Sanctitas sua complecti etiam Civita-  
tem Mosæ Trajectensis à Republica fœde-  
ratorum Ordinum , quamvis non Jure do-  
minii , sed tantùm oppignorationis , ut  
ajunt , nomine possessem.

*Declaratio SSmi D. N.*

Tandem circa conjugia , quæ contra-  
huntur vel in Regionibus Principum Ca-  
tholicorum ab iis, qui in Provinciis fœderatis  
domicilium habent, vel in fœderatis Provin-  
ciis ab habentibus domicilium in Regionib.  
Principum Catholicorum , nihil Sanctitas  
sua de novo decernendum aut declaran-  
dum esse duxit , volens , ut de iis , juxta  
Canonica Juris communis principia , pro-  
batasque in similibus casibus alias editas à  
Sacra Congregatione Concilii resolutiones,  
ubi disputatio contingat , decidatur ; & ita  
declaravit statuitque , ac ab omnibus im-  
posterum observari præcepit.

Die 4. Novembris 1741.

**A. Card. Gentili S. C.  
Concilii Præfectus.**

**C. A. Arch<sup>o</sup> Philippen. Secret.**

---

Romæ MDCCXLI.

Præ-

## P R A E F A T I O

In Editione Romanâ huic Operi  
præfixa.

**I**PREN. VISITATIONIS SACRORUM LI-  
MINUM. (a) Magnopore anxius Iprensis An-  
tistes, quid consilii capiendum sibi foret erga  
nonnullos Hollandici Præsidii Milites, qui nuptiis  
pridem coram Heterodoxo Ministro, sive Magi-  
stratu celebratis, hæresim postea ejurarunt, in ac-  
curatissimâ Status Ecclesiæ suæ Relatione ad præ-  
scriptum celeberrimæ Constitutionis Sixtinæ inci-  
pientis *Romanus Pontifex* Sacro huic Senatui trans-  
missâ molestas, quibus torquetur, dubitationes  
exposuit, flagitavitque ab Eminentissimis PP. de-  
clarari, validane, an irrita censenda sint Matrimo-  
nia, quæ in Hollandia, aliisque confœderatis Pro-  
vinciis coram Magistratu, vel Ministro Acatho-  
lico iniri contingit.

Ut itaque solertissimo huic Episcopo in re adeo  
gravi maturum æquè, ac præsentium temporum  
circumstantiis accommodatum dari posset respon-  
sum, tum ipsius petitio, tum quæ ad materiam  
aliquatenus illustrandam conferre possent, descri-  
pta fuere in Folio, quod hodie iterum distribuitur  
signatum litera *A.*, propositoque subinde Dubio  
*An*, & quomodo sit rescribendum Episcopo in casu  
*&c.* - sub diem 17. Maii 1737. prodit responsum-

*Ad*

(a) *Seff. 24. cap. 1. de Ref. Matrim.*

*Ad mentem*, quæ in eo versata est, ut Episcopo rescriberetur, Conjuges de validitate Matrimonii non dubitantes in bona fide esse relinquendos, neque à Sacramentorum participatione arcendos fore, peculiares verò casus, & circumstantias eorum, qui scrupulis super suorum Matrimoniorum validitate anguntur, oportere ab eodem Episcopo distinctim exponi. Cumque juxta hanc mentem literæ datæ fuerint, statim sedulus ille Præsul multiplices recensuit casus tam in sua, quam in finitimiis, ut ait, Diæcesibus persæpe occurrentes, quos per extensum relatos videre est in altero adnexo Folio signato lit. B.

Interea verò rogatus Eminentissimus Cardinalis ab Alsatia Archiepiscopus Mechliniensis votum suum super postulationibus Iprensis Episcopi proferre doctissimam elucubravit Relationem legendam sub lit. C., quâ distributâ unâ cum Adnotationibus Secretarii Sacræ hujus Congregationis hodie pariter datis sub lit. D., necnon pluribus Rescriptis, sive Resolutionibus ejusdem Sacri Confessus signatis lit. E., denuo sub diem 28. Februarii 1739. discussum fuit Dubium- *An, & quomodo sit rescribendum Episcopo-* , iterumque Eminentissimi PP. responderunt *Ad mentem*, quæ fuit, ut ex pluribus casibus per Episcopum Ipreensem recensis distincta Dubia, singulas, quæ in hac materia frequentius contingere possunt, quæstiones complectentia eruerentur, ac super eorum unoquoque quatuor scriberent Theologi, suamque sententiam dicerent.

Omnibus igitur ad tramites istius postremæ jussio-

jussionis morosè peractis, quatuor insignium Theologorum Vota sapienter æquè, ac sedulò super duodecim Dubiis ad rem, quantum licuit, efformatis perscripta nunc exhibentur signata lit. F. G. H. & I. Præter hæc nonnulla distribuentur Folia manuscripta, in quibus plura ad gravissimum istud negotium spectantia variis olim temperata resolutiōnibus luculentissimè referuntur. Cunctis jamverò maturè perpensis, habitaque etiam præ oculis hæc Missionariorum Praxi, de qua novissimè requisitus sæpè laudatus Irenensis Episcopus in hæc verba rescripsit -- *Cum contrahuntur in Hollandia Matrimonia, non servata forma Tridentini, Missionariorum omnium praxis est similia Matrimonia valida habere, quantumvis illicita, & detestanda, atque taliter contrahentes, si modo verè pœnitentiant, ad quævis Sacra menta admittere. Ut tamen Fideles ab illis connubiis absterrantur, contra facientibus pœna hæc infligitur, ut videlicet ab Eucharistie participatione per sex menses arceantur, & qui infirmi sunt, admittuntur ad Sacra menta Pœnitentiæ, Viatici, & Extreme Unctionis -, itidemque inspectis iis, quæ circa ejusmodi proxim tum in suis Diæcesibus, tum in Regionibus finitimis vigentem non benè concordes retulere Episcopi Brugensis, Gandavensis, & Antuerpiensis sub litt. K. L. M. placeat Eminentissimis Patribus respondere.*

I. *An Matrimonia ab Hereticis inter se in locis fæderatorum Ordinum Dominio in Belgio subjectis contracta, non servata formâ Concilii Tridentini, censenda sint valida?*

II. *An*

II. An valida censenda sint similia Matrimonia extra fines Dominii Fœderatorum ordinum pariter inter se contracta ab Hæreticis addictis legionibus, que ad Praesidia eorum Curæ commissa mittuntur in loca, ubi viget dispositio Concilii Tridentini.

III. An idem censendum sit de Matrimoniiis, ut supra inter Hæreticos contractis, quando alterutra pars non est addicta præfatis Legionibus, sive habeat, sive non, domicilium in loco, ubi viget dispositio Tridentini?

IV. Quid censendum sit, quando neutra Pars addicta est Legionibus prædictis, & sive habeat, sive non, domicilium in loco, ubi viget dispositio Tridentini, ibidem contrahant Matrimonium, ejus formam servata?

V. An similia Matrimonia inter Partem Catholicam, & Partem Acatholicam, que amba fœderatorum Ordinum dominio subdita, contraeta in locis eorumdem Dominio in Belgio subjectis censenda sint valida?

VI. An si Pars Catholica extera veniens in loca dictis fœderatis Ordinibus subjecta contrahat ibidem Matrimonium cum Parte Hæretica loci, non servata formâ Concilii, valide contrahat?

VII. An idem censendum, si Pars Acatholicâ extera in eadem loca veniens simili modo contrahat cum Catholica.

VIII. An Hæretica Pars fœderatorum Ordinum dominio subdita accedens ad loca Catholicorum domi-

dominio subjecta, ibique cum Parte Catholica contrahens, absque formâ Tridentini ibidem alioquin vigente, validè contrahat?

IX. An saltem ejusmodi Matrimonia sint valida, si utraque Pars, quarum altera, ut supra, Catholica, & altera heretica, reperiatur addicta Legionibus fœderatorum Ordinum.

X. Quid verò, si altera tantum Pars addicta sit prefatis Legionibus.

XI. Quid censendum de valore Matrimoniorum, quæ sine Tridentini forma contrahuntur, vel ab Hereticis inter se, vel à Parte Heretica cum Catholica in Civitate Mosa Trajectensis, quæ à Republica fœderatorum Ordinum non jure Domini, sed tantum oppignorationis nomine possidetur?

XII. An super his omnibus sit consulendum Sanctissimo pro aliqua declaracione, & quæ?



Iren

## ERRATA Typi.

7. *Et herodoxis lege heterodoxis.*  
 12. *si respondendum esset lege : si respondendum esset, esset respondendum.*  
 13. *perservare lege perseverare.*  
 17. & inferius Orator... omnibus Pastoribus  
     & Confessarius monere, lege **Configiendo.**  
     Et inferius Orator non ... omnes Pastores &  
     Confessarios. &c.  
 28. Præoninquensis lege Groeningensis.  
 34. de Swaven lege Swaen.  
 36. postposita lege proposita.  
 42. impedire deberi. lege impediri debere. Ast  
     ibi datum lege ubi. ibid. discussio, ac ita  
     desiderat &c. lege discussio. Ac ita deside-  
     rat &c. ibid.  
 69. nunquam l. unquam.  
 70. occultari l. oculati.  
 175. non potest l. non potest non.



Ipres

A.



PREN VISATIONIS SACRORUM LIMINUM.(a)

Episcopus Iprensis, ut pastorali pro Grege sibi con credito solicitudini faceret satis ; in Relatione status Ecclesiæ ad hanc Sac. Congregationem transmissa juxta præscriptum notissimæ Constitutionis Sixtinæ incipientis : Romanus Pontifex : hæc inter cetera exposuit : Secundum , quo vexantur Parochi, & Confessarii, & quorum anxietas. Nobis ipsis anxietatem parit , concernit Matrimonia in Hollandia contracta coram Ministro , & Magistratu Acatholico. Cum in hac Civitate Iprensi , & pluribus Adiacentibus sit Præsidium militare Hollandicum ; Ex istis Militibus multi talia Matrimonia in Hollandia contraxerunt vel cum Catholica , vel cum Acatholica , sed quæ jam in his Partibus existens heresim ejuravit. Pars illa Catholica , vel Conversa petit , an suo Marito adhærere possit , vel , et si non petat , Pastor tamen , vel Confessarius sciens , sic esse junctam , dubitat , an beneficio absolutionis sit donanda , an ad alia Sacra menta amittenda in periculo mortis , nisi promittat , in casum reconvalescentiae à suo Marito recedere. Insuper , si Matrimonia illa dicantur invalida , exinde oriatur evidens impedimentum conversionis Hæreticorum , sic enim reliquendus Maritus , deserendæ proles : deindeque nomine ejusdem Episcopi porrectus fuit supplex libellus , in quo

A

præ-

(a) Sess. 24. cap. i. de Ref. Matr.

2  
De Matrimonio

præfatæ quæstioni altera quoque sapientissimo Eminentiarum VV. oraculo dissolvenda hisce verbis adjicitur □ Altera difficultas nascitur ex Matrimonio qua, aut Hæreticus cum Catholica, aut duo Hæretici, quorum alter subinde Catholicam Religionem amplectitur, in dictarum celebrant præsidio Urbium, quarum in Parochiis constat, & publicatum esse & observari Decretum Concilii: Quæritur perinde atque EE. VV. oraculum expetitur, tam super re ipsa, quam super modo agendi, quem sequi debeant Orator, Parochi & Confessarii Diœciseos, præsertim quando Coniux Catholicus aut conversus quærit an possit necne perseverare in Matrimonio?

Ut sedulò statuatur, quid prælaudato Antistiti super expositis dubitationibus Sacrum hunc Senatum consulenti rescribere oporteat, præmittendum in facto est, Hollandiam, Zelandiam, Frisiā, aliasque Confœderatas Provincias tam legitimo Territorii Principi, quām S. R. E. rebelles evasisse à Catholica deficientes Religione, postquam Decretum Sacri Concilii Tridentini Seſs. 24. cap. 1. de Ref. Matrim. in singulis earundem Provinciarum Patræciis fuerat iussu Philippi II. Hispaniarum Regis jam promulgatum, uti testantur Bruno Neusser disp. 182. quæſt. 2. num. 4. de Veryviis art. 1. Reiffenstuel. in jus can. lib. 4. tit. 3. §. 3. num. 137. in fin. Busemb. in medull. Theol. Moral. lib. 6. tract. 6. cap. 3. dub. 2. la Croix Theolog. Moral. lib. 6. part. 3. de Matrim. n. 767. & disertè Eminentissimus Petra in suis Commentar. ad Constit. 12. fo. XXII. tom. 4. num. 23.

In jure verò fas est prænotare, quod, tametsi Catholici cum Hæreticis Matrimonium illicite quidem,

dem, sed validè contrahant, juxta sanctionem Text.  
in Can. Cave. in can. Non oportet. 27. quæst. 1. &  
in Cap. Decrevit. de Hæretic. in 6. & doctrinam  
Angelici Præceptoris in 4. Sentent. dist. 39. quæst.  
1. art. 1. in respons. ad 5. ibi ≈ Si aliquis Fidelis  
cum Hæretica baptizata Matrimonium contrahit,  
verum est Matrimonium, quamvis peccet contra-  
hendo, si sciat eam hæreticam, sicuti peccaret, si cum  
excommunicato contraheret, non tamen propter hoc  
Matrimonium dirimeretur ≈ , quam communiter  
sequuntur Theologi, & Canonistæ, in Locis ta-  
men, ubi Decretum Sacri Concilii Tridentini fuit  
promulgatum, formam ab eo præscriptam ipsi  
quoque Hæretici sive cum Catholicis, sive inter se  
Matrimonium celebrent, servare tenentur, cum  
nequierint infelici hæresis præsidio à Sacrorum  
Canonum Sanctionibus sese subtrahere, quemad-  
modum advertit cum aliis *Eminentissimus Petra*  
tom. 4. in comment. ad Constit. 12. Joann. XXII.  
num. 19. & 23. adeout, si, dicta S. Concilii for-  
mâ posthabita, absque Parochi, Testiumque præ-  
sentia Matrimonia ineant, irrita sint, atque inva-  
lida, quemadmodum ex Canonistis tradunt præ-  
ter alios *Fagnan.* in Cap. Si Clericus n. 56. & seq. de  
for. competen. *Reiffenstuel.* in ius can. lib. 4. de clan-  
destin. desponsat. §. 3. num. 132. & seqq. *Schmalz-*  
*grueber.* eod. tit. *Decretal.* num. 115. *Pignatell.* con-  
sult. 79. num. 26. tom. 5. & consult. 104. tom. 8.  
*Eminentissimus Petratom.* 4. commentar. ad Constit.  
12. Joann. XXII. num. 20. & ex Theologis, *Rebell.*  
de obligat. just. lib. 1. in prælaud. quæst. 5. num. 14.  
*La Croix* lib. 6. par. 3. de Matrim. num. 772. &  
seqq. *Pontas Dictionar.* *Theologia Moral.* tom. 2.

verb. *Impedimentum clandestinitatis cas.* 2d. & consonant Resolutiones S. Congregationis, quæ inferius referentur, & signanter in una *Hollandia Matrimoniorum* 23. *Augusti 1681.*

Hicce præhabitæ, circà potissimam difficultatem, quæ examinanda occurrit, nùm in Locis ab Hæreticis modò occupatis, ubi publicatum fuit sæpedictum Tridentini Decretum, valida sint Matrimonia, quæ inter Hæreticos, vel inter Hæreticum, & Catholicam, & è contrà celebrantur sine Parochi quidem præsentia, sed corà Magistratu, aut Ministro hæretico, nonnulli Authores sunt, inter quos *Modernus Lovaniensis de jur. Eccles. tom. 1. part. 2. tit. de Spons. a. num. 31. ad fin. Martin de Suvaven. de Sponsa duorum, Halen. in disert. Theolog. Polit. part. 2. pag. 17. Theophil. Raynaud in Hæreroch. Spirit. tom. 16. fol. mihi à n. 7. ad 14. Gobat. Theolog. experimentali tract. 9. n. 33. & seq.* tuentes Matrimonia, ut suprà, inita sustineri, pluribus allatis rationibus, quæ in his potissimum sistere videntur: primò, quod si non phisicè, mortaliter saltè impossibile sit Matrimonium inter Hæreticos contrahiri corà proprio Parocco, quan- diù Provinciae, seu Loca, ubi illa celebrari con- tingit, Acatholici Principis Imperio remanent sub- jecta; secundò, quod inde possent Hæreticorum conversiones impediri, pluraque exoriri incom- moda, quæ facile avertentur, si Hæretici petentes Catholicæ Ecclesiæ reconciliari non obligentur. Uxores hæreticas converti nolentes deserere, sed possint cum iis pristinum prosequi conubium, tametsi nequeant istæ ad novum consensum corà Parocco Catholico præstandum pro Matrimonii con-

convalidatione induci: & tertio, quod incommoda ex Matrimoniis clandestinis, quae in foro externo probari non poterant, satis evitentur ex nuptiis publicè coram Magistratu, vel Ministro Acatholico celebratis.

Contrà verò Sac. hæc Congregatio admittit quidem, valere Matrimonium etiam absque Parochi præsentia, ubi nec Parochus Catholicus, nec Vicarius ab ipsis deputatus existat, vel iis ob metum, & Acatholici Principis persecutionem latentibus, ignoretur, quonam loco sint, vel ad ipsos nequeat tutus haberi accessus, modò servetur, quantum ceteroquin fieri potest, forma à Tridentino præscripta, videlicet, adhibitis saltēm duobus, vel tribus Testibus, uti constat ex Decreto edito sub diem 26. Septembris 1602. lib. 10. Decr. pag. 47. & ex altero in una Belgii 27. Martii 1632. hisce verbis concepto-- Ubi constat, Decretum Sacri Concilii esse publicatum, vel aliquot tempore in Parochia tamquam Decretum Sacri Concilii observatum, sed Parochialis Ecclesia, utpote carens proprio Parochio, & Cathedralis itidem Episcopo, atque Capitulo habente facultatem alium Sacerdotem delegandi carreat, nullusque aliis ibi sit, qui vices Parochi, vel Episcopi suppleat, Matrimonium valere absque præsentia Parochi, servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltēm duobus, aut tribus testibus. Si existant quidem Parochus, vel Episcopus, sed, nullo constituto Vicario, uterque metu Hæreticorum lateat, ita ut vere ignoretur, ubinam sit, vel eodem metu à Diœcesi absit, nec alterutrum sit tutus accessus, validum esse Matrimonium contractum absque forma Sac. Concil. Trident.

At, si Regio, ubi Matrimonium fuit initum, Catholico Principi subjecta reperitur, vel si in ea dominetur Princeps haereticus, constet tamen, ibi non defuisse verum Parochum, coram quo poterat Matrimonium ritè celebrari, eadem Sacra Congregatio constans in ea fuit sententia, quod tunc Matrimonia tam inter Haereticos, quam inter Catholicum, & Haereticam, & è contra, etiam si coram Magistratu, vel Haeretico Ministro celebrata, nullitatis vitio laborent, uti pandit Decretum relatum in lib. 10. Decr. pag. 47. hisce verbis. -- Haereticos quoque, ubi Decretum dicti cap. I. est publicatum, teneri talem formam observare, & propere à ipsorum etiam Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro haeretico, vel Magistratu loci contracta, nulla esse, atque irrita, & concordant plura alia Rescripta, quæ infrà tum ad absolutam Causæ definitionem, tum ad materiæ ornatum exponentur.

Imò Matrimonium initum coram Parocho haeretico, uti Parochialis Beneficii titulo ob haeresim destituto, minimè sustineri, tradunt Fagnan in cap. Quod à Prædecessore. à num. 26. ad fin. de Schismat. & scitè Eminentissimus Petra in Commentar. ad Constit. Joann. XXII. num. 26. & seqq. & in hæc verba resolvit Sacra Congreg. sub diem 19. Maii 1572. -- Nullum esse Matrimonium contractum coram Parocho haeretico, si Decretum Concilli cap. I. de Ref. Matrim. publicatum fuerit in Parochia, & lapsi erant triginta dies à die primæ publicationis, -- eamdem que rescribendi rationem servavit in altero Decre-

to, quod refert præcitat[u]s Fagnan. cap. Ad abolen-  
dam. à n. 38. de Hæretic.

Veruntamen posito, quod totiès memorata Matrimonia irrita judicentur, duo adhuc supersunt ponderanda; alterum nempe, an expeditat Rescriptum edere, quo eadem Matrimonia exprelse declarentur invalida; Sacra enim Congregatio, ne Catholici, qui aliquando Matrimonium cum Hæreticis inierunt sine Parochi præsentia, nimium gravibus objicerentur periculis, si illud vellent coram Catholico Parocho convalidare, noluit de eorumdem Matrimoniorum nullitate quidquam edicere, uti signanter contigit in Causa Hollandiæ Matrimoniorum, ubi, cum propositum fuisse, à Vicario Apostolico illius Regionis existimari, Matrimonium inter Hæreticos coram Magistratu etherodoxo celebratum saltè jure contractus civilis ita consistere, ut, prævia renovatione consensus coram Parocho Catholico, convalidari non oporteret, tum quia Concilium fuerit quidem in illis Provinciis publicatum, non tamen in illa Republica, quæ, postquam ab orthodoxa Religione descivit, eadem, quæ anteà, amplius non sit, sed tam quoad Gubernium, & Habitatores, quam quo ad Religionem hodie maneat immutata; tum etiam quia Resolutiones Sac. Congregat. quibus contrarium fuerat definitum, congruerent tantum antiquiori tempori, quo nondum desperata erat conversio Hollandiæ ad Hispanos, disceptato Dubio -- An in Provinciis Belgii Confœderatis valeant Matrimonia Catholicorum cum Et herodoxis contract coram Magistratu hæretico, non obstante Decreto Concilii de solemnitatibus Matrimonii in

De Matrimonio

illis Provinciis publicato, & recepto, -- Sacra Congregatio sub diem 23. Augusti 1681. fese abstinentia ab explicita declaratione nullitatis dictorum Matrimoniorum, rescripsit -- Ad mentem cum Sanctissimo scilicet, si esset respondendum Dubio, esset respondendum negative, -- ut in lib. 31. Decr. pag. 459.

In Boscuducen. itidem Matrimonii, propositis Dubiis I. An, si quis, dum erat hereticus, Matrimonium contraxit coram Magistratu, vel Ministro heretico, & postea convertatur ad Fidem Catholicam, requiratur ad validitatem hujusmodi Matrimonii novus consensus utriusque Conjugis, vel Conversi tantum. II, An quatenus hujusmodi novus consensus praestari commode nequeat, nihilominus indulgendum sit, ut in hujusmodi Matrimonio possit Conversus licet perseverare, die 3. Februarii 1683. prodiit Rescriptum Ad mentem -- eaque hunc in modum explicata reperitur -- Mens est, quod servetur id, quod fuit observatum in simili casu a Sacra Congregatione Concilii in una Hollandia Matrimoniorum 23. Augusti 1681. -- lib. 33. Decr. pag. 52. & seq.

Demum in Trajetten. summatim exposita hac facti serie Quidam Missionarius, qui dicit, se esse unicum Pastorem Catholicum in Exercitibus Hollandicis, qui potius a statibus Hollandicis toleratus, quam stabilitus appellari valet, licet jam decimus septimus labatur annus, ex quo predicto Pastorali fungitur officio, per Epistolam certiorem reddidit D. Abbatem S. Catherine Internuntium Bruxellensem, quod quatuor circiter adhinc annis quedam Mulier Vidua Catho-

lica

līca Matrimonium contraxerit cum Lutherano  
Mosè Trajecti corām Ministro Lutherano , & in  
forma apud Lutheranos usitata , & quod usque  
adhuc habiti sunt pro legitimis Conjugibus, tūm  
quia quidam Director Spiritualis Mulieri persuau-  
sit , Matrimonium esse validum , tūm quia multi  
tām Lovanii , quām alibi sentiunt pro validitate  
consimilium Matrimoniorum , & quod solūm  
postremis diebus Mulier , quæ dubitare cāpit  
de validitate Matrimonii , dubium prædictum  
sibi aperuit , cui tamen prohibuit , nō illud no-  
tum faceret vel Marito , vel Capitaneo Legionis  
Draconum Wallonum , inter quos Maritus ad-  
scriptus est , cum enim ille etiam sit Lutheranus ,  
Dubii manifestatio cedere posset in detrimentum  
Catholicæ Religionis , & in Epistola ab Internun-  
tio Bruxellensi quæsivit , an Matrimonium esset  
validum , & quatenus validum non esset , petiit  
licentiam , ut coram se possent consensus reno-  
vari -- ; discussisque binis Dubiis -- I. *An Matri-  
monium inter hæreticum , & Catholicum contractum  
coram Ministro hæretico validum sit in casu &c. , &  
& quatenus negative. II. An sit concedenda facul-  
tas cautē renovandi consensum coram Parocho Ca-  
tholico in casu &c. , die 22. Novembris 1721. res-  
ponsum fuit : Ad mentem , & quæ in eo versata  
est , quod Matrimonium esset nullum -- , ut in lib.  
71. Decr. pag. 506.*

Interdūm verò ubi scilicet nullus urgere vide-  
retur timor damni in Catholicos , vel in eos , qui ,  
ejurato errore , orthodoxam Religionem cupiunt  
amplecti ] eadem Sacra Congregatio non abstinuit  
ab expressa declaratione nullitatis ; cum enim in

Causa Gedanen. ageretur de Matrimonio contracto inter Catholicum, & Hæreticam, non tamèn coram Parocho Catholico, qui eo in loco non deerat, ibique Decreta Sacri Concilii Tridentini observari solerent, die 4. Septembris 1677. rescriptum fuit --, *Matrimonium esse nullum*--, ut in lib. 29. *Decr. pag. 415.*, atque in similia verba responsum fuit in Ruremunden. Matrimonii 2. Maii 1676. lib. 29. *Decr. pag. 241.* in Colonien. die 16. Decembris 1719. in Moguntina 21. Maii 1721. lib. 71. *Decr. pag. 184.*, & in Paderbonen. 4. Augusti 1725. lib. 75. *Decr. pag. 447.*

Alterum verò, quod examinandum restat, in eo vertitur, nùm Conjugi Catholico, vel ad Catholicam Fidem converso permitti possit in Connubio antea inito tutà conscientia perseverare, eiique Confessarius, vel Parochus absolutionis beneficium queat impertiri, aliaque Sacramenta administrare tām in casu, quo ille sciscitetur, an licitum sibi sit Conjugi suo adhærere, quām in altero, quo de validitate sui Mattimonii non dubitet, sed in bona fide versetur; Quamvis enim certum sit, Conuges, qui Matrimonium coram Ministro hæretico invalidè contraxerunt absque præsentia Parochi, in perpetuo vivere concubinatu, nisi subinde curent, renovato consensu coram Parocho Catholico, Matrimonium convalidare, uti cum aliis advertunt *La Croix Theol. Moral. lib. 6. part. 3. num. 770.* & *Pignatell. t. 8. consult. 104.*, „ ubi hæc habet --, Multi Hæretici convertuntur „ ad Fidem, inter quos non pauci sunt Conjugati, „ altero Conjuge perseverante in hæresi, Conju- „ gati, inquām, ritu tamen hæretico, ideoque in- „ valido,

„ valido, cum in illis Partibus publicatum sit Decre-  
„ tum Sacri Concilii Tridentini, Pars conversa  
„ cupit Matrimonium renovare secundum formam  
„ ejusdem Decreti Tridentini, at Compartem hæ-  
„ reticam, à qua separari moraliter impossibile est,  
„ nullatenus potest inducere, ut coram Parocho  
„ compareat; Quæritur, quid Pastores Catholicī  
„ cum tali agere debeant, & speciatim, an Con-  
„ jugem bonæ voluntatis ad usum Sacramentorum  
„ possint admittere. Respondeo, si in dd. locis  
„ non fuerit publicatum Decretum Concilii Trid.  
„ de Reform. Matrim. cap. I., Matrimonium, etsi  
„ ritu hæretico celebratum, validum est, ut de-  
„ claravit Sacra Congregatio Concilii in Bisuntina  
„ 26. Junii 1698., ac perindè Pastores Catholicī  
„ poterunt admittere ad Sacramenta alterum Con-  
„ jugem conversum ad Fidem, dummodò vivat in  
„ matrimonio sine contumelia Creatoris. Si verò  
„ in iis Locis fuerit publicatum, & ejus forma  
„ non fuerit in ejusmodi Matrimoniiis observata,  
„ Matrimonia sunt nulla, nam Hæretici quoque,  
„ ubi Decretum d. Cap. I. est publicatum, tenen-  
„ tur talem normam observare, & propterea etiam  
„ ipsorum Matrimonia absque forma Concilii,  
„ quamvis coram Ministro hæretico, vel Magi-  
„ stratu Loci contracta, nulla, atque irrita sunt,  
„ juxta declarationem Sacrae Congregationis Con-  
„ cilii transmissam Episcopo Tricaricensi Nuncio  
„ Apostolico apud inferiorem Germaniam, quam  
„ refert inter alios Zipæus in annalit. jur. Pontific.  
„ lib. 4. tit. de Spons. num. 16., & nos alibi;  
„ quare in hoc casu Conjux conversus non potest  
„ admitti ad Sacramenta, nisi priùs separetur, cùm  
„ vivat in assiduo concubinatu--.

Atta-

Attamen ii, qui in hæresi Conjugium invalidè injerunt, formâ Tridentini non servatâ, subinde que ad Catholicam Religionem conversi bona fide in ea perseverant, suoque Conjugi adhærent, relinquenti potius videntur in eadem bona fine, quam de Matrimonii invaliditate monendi, ne alias, cùm velint Matrimonium, renovato consensu coram Parocho Catholico, convalidare, plurimis gravibus subjiciantur periculis, quæ facile sibi impenderent, ob odium, & persequitionem Principis, seu Magistratus Acatholici ægrè ferentis, validitatem Matrimonii coram Ministro hæretico initi in dubium revocari, ut ex mente Sac. Congregationis in ciuitate Causa Hollandia Matrimoniorum docet Eminentissimus Petra tom. 4. in Commentar. ad Const. 12. Ioannis XXII. num. 24. ibi, Sacra Congregatio Concilii respondit Secretario cum Sanctissimo ad instantem, quæ erat, quod, si respondendum esset, Matrimonia non valere, attamen animadversum fuit, id non expedire, quia potius deberent permitti in eorum bona fide permanere, quam tot periculis expondere Catholicos: verum, ut notatum vidi in quodam voto Cardinalis Casanate, scriptum fuit Internuntio, ut mandet Vicario Apostolico, ne audeat Missionariis prohibere, ne talis Matrimonia contrahant; sanè aliud est tolleri aliud, quod Contrahentes induci non valent à Missionariis ad verum Matrimonium contrahendum, quod ultimum falsum certè est, & modis placidioribus curandum quoad contracta, & insistendum quoad contrahenda., Conjuges vero Catholici, vel recens ad Fidem

con-

conversi, si dubitantes de valore Matrimonii in  
hæresi coram Ministro hæretico contracti Pastores,  
vel Confessarios suos consulant, num sibi licitum  
sit in eo Conjugio sic inito permanere, inducen-  
di omnino sunt, ut cautè coram Parocho Catho-  
lico consensum renovent ac ità Matrimonium re-  
valident; Quod, si tutò, & commode, id fieri  
nequeat, non desunt Doctores, qui putant, eis  
licere in usu Matrimonii jam initi, non renovato  
consensu coram Parocho Catholico, perse~~xare~~  
arbitrantes, hanc opinionem veluti probabilem  
admitti posse, non obstante propositione ab In-  
nocentio XI. proscripta in ordine *la prima*, quæ  
de Sacramentis administrandis, vel conficiendis,  
& respectivè de Matrimonio contrahendo, non  
autem de jam celebrato loquitur, quemadmodum  
præ cæteris tradit *La Croix Theol. Moral. lib. 6.*  
*part. 3. de Matrim. n. 177.* Ibi,, Si Matrimo-  
nium jam sit ità contractum, poterunt Conjuges  
etiam conversi permanere in usu illius, quamvis  
consensum non renovent coram Parocho Catho-  
lico, quia probabile est, fuisse validum, & se-  
quendo hanc opinionem probabilem, haud Sa-  
cramentum exponitur periculo nullitatis, vel  
irreverentiæ; tamen erit eos adducere, ut  
obtentà Dispensatione in impedimentis, si quæ  
adsint, contrahatur de novo coram Parocho  
Catholico, & testibus, ne se exponant periculo  
materialis fornicationis, ; Alii verò censent,  
præstare, ut Summus Pontifex supremà suā auco-  
ritate Conjugibus conversis indulgeat in Matri-  
monio celebrato coram Ministro hæretico, etiam  
dicto consensu non iterato, permanere, secun-  
dum

dùm ea, quæ ad rem notant Layman. lib. 4. tract.  
 10. par. 2. cap. 2. Dicastill. de Sacram. tom. 3.  
 tract. 10. disp. 3. dub. 10. n. 74. Tanner. tom. 4.  
 disput. 8. quæst. 3. dup. 9., quos refert Eminentissimus Petra loc. supracit. num. 25., ubi post expositam mentem Sacræ Congregationis in Buscoduceu. Matrimonii sic inquit „Etenim dubio procul est, hujusmodi Matrimonia coram Scabinis, seu Ministris hæreticis celebrata nulla esse ob formam Concilii non servatam. Nihilominus cum solemnitas Matrimonii sit juris positivi, ac agatur de Locis, in quibus Hæretici gravissimis pœnis afficiunt eos, qui prætendunt nullum Matrimonium contractum cor. Ministro hæretico; ad majus malum evitandum, & ob Catholicon favorem expedit potius tolerare hujusmodi Matrimonia, præsertim quia, ut asserebatur in cit. Buscoducen., si Conjux conversus præterderet nullitatem primi Contractus, gravi pœna afficeretur ab Hæreticis tamquam violator eorum legis, neque Conjux hæreticus permitteret præstari novum consensum, undè meritò petebatur, quod Pontifex indulgere dignaretur, lice re conversis continuare in Matrimonio contrario coram Ministro hæretico, etiam sine novo consensu, quoties iste commodè præstari non posset..”

Et sane, sicuti Summus Pontifex, concurrente legitima causa, potest Matrimonium irritum propter defectum præsentiae proprii Parochi, vel ob aliud quodvis impedimentum de jure tantum Ecclesiastico Matrimonium dirimens in radice convalidare, & directè dispensando super

super Matrimonii invaliditate prolem ex copula putativè conjugali suscepta ad legitima restituere natalia, juxta communem Canonistarum sententiam in Cap. per Venerabilem, ubi Joannes Andreas n. 26. Abbas num. 22. Alexander de Nevo num. 18. Gonzal num. 23. Barbosa num. 6. qui filii sunt legitimi, & ad eumdem titulum Decretalium prosequuntur Pring. §. 6. num. 42. & seq. Anaclet. §. 2. num. 51. Navarr. cons. 2. lib. 4. eod. tit. qui filii sunt legitimi plenissimè Barbosa voto decisivo 27. per totum lib. 2. Sanchez de Matrim. lib. 8. disput. 7. num. 4., & plurib. seqq. Pont. de Matrim. lib. 11. cap. 5. §. 1. num. 7., Castill tom. 5. controversial. cap. 105., & præcipue num. 28. Diana in edit. Coord. tom. 3. tract. I. resolut. 87. per tot. Peregrin. de fideicom. art. 24. num. 76. & plurib. seqq. Corrad. in prax. dispensat. lib. 8. cap. 3. num. 46. & seqq. de Justis de dispens. Matrim. lib. 1. cap. 7. num. 284. & seqq., fuitque perpetua opinio Rotæ, ut habetur ex decisis in Causa Pampillonæ. Illegitimitatis 5. Decembris 1608. & 10. Junii 1609. coram Justo impressis apud Garziam. de benef. par. 7. cap. 2. num. 40., & seqq., & dec. 1121. cor Seraphino, dec. 462. lib. 2. in correctis coram Puteo dec. 19. per tot. cor Ludovis dec. 174. post secundum volumen Conf. Farinacc., & plenissimè in decif. 455. par. 1. rec., & dec. 617. par. 2. ree., & in terminis Matrimonii invalidi ex defectu præsentiae Parochi rescripsit Sacra hæc Congregatio in Pragen. Matrimonii die 18. Septembris 1723. lib. 73. Decr. pag. 495. ita ponderandum est, num id generali, quopiam Decreto fieri expediat pro casibus, quos ita generatim exposuit Episcopus consi-

consilium æquè , ac remedium postulanis in illis  
potissimum circumstantiis , in quibus facile patet;  
conjugem acatholicum nolle ab heretica pravitate  
resilire ; cum de cætero in præcitata Trajecten. ubi  
præter Dubium concernens validitatem Matrimo-  
nii inter Hæreticum , & Catholicam initi , discussio-  
sum quoque fuit , num , quatenus invalidum il-  
lud judicaretur , concedenda esset facultas caute-  
renovandi consensus coram Parochio Catholico ,  
Sacra Congregatio noluerit quidquam circa id re-  
spondere , tametsi Matrimonium irritum esse cen-  
suisset.

Hæc sunt , quæ ad duplicis quæstionis ab Ipre-  
ni Episcopo propositæ decisione fusiùs exponere  
oportuit , quia nihil ad manus Eminentiarum VV:  
def eretur , solumque Sacrae huic Congreg. præter  
ejusdem Antistitis Relationem exhibitus fuit enun-  
ciatus supplex Libellus , in quo post relatas Reso-  
lutiones S. C. in citatis Causis Hollandiae Matri-  
moniorum , & in Boscoducen. Matrim. ita subjun-  
gitur. Et licet hæc cogitandi Methodus Sacrae  
Congregationis decisionem supremam inferre  
non videatur , nec strictè huncce casum propriè  
tangere , cum respiciat eos diut taxat Conjuges  
sub Dominio Reipublicæ Hollandicæ Commo-  
rantes , ubi timor periculi perpetuò adest , in  
urbibus verò ad Limites cessat , quippe in eis &  
Episcoporum , & Catholicorum copia , & Pa-  
stores Orthodoxi liberum exercentes Religionis  
nostræ exercitium , tamen , cum Officiales præ-  
sidiorum omnimodam in milites , eorumque  
uxores habeant authoritatem , Coniux ad sanam  
reputatus doctrinam eadem pati potest pericula

„in iis urbibus, ac in Hollandicis, nec aliud re-  
„peritur remedium, nisi ad alias urbes confugien-  
„do. Et ~~in~~ Orator non prætermisit omnes  
„Pastoribus & Confessariis monere, ut Con-  
„jugi adhuc Hæretico persuadere conarentur, ut  
„novum consensum, daret, tacitum saltem, hoc  
„est, sinè proclamationibus in præsentia Pastorum  
„Catholicorum, dum autem id non sufficiat, ut  
„persæpè dissensu Conjugis hæretici accidere  
„datur, partium erit prudentiæ EE. VV. red-  
„dere, ac ostendere medium aliquod magis ipsis  
„idoneum visum.

Omnibus itaque perpensis, onus erit EE. VV. deliberare.

An, & quomodo sit rescribendum Episcopo in casu Ec.

## B.

IPREN. VISITATIONIS SACRORUM LIMI-  
NUM. (a) Cum Iprensis Episcopus, pro exi-  
mia in oves sibi commissas pastorali solitudine,  
anxiis distineretur dubitationibus, qua ratione  
agendum foret erga nonnullos Præsidii Hollandici  
Milites, à quibus, post nuptias coram Ministro,  
sive Magistratu heterodoxo initas, fuit Hæresis  
ejurata, postulavit ab hoc Sacro Senatu decisionem  
gravissimæ quæstionis, num scilicet Matrimonia  
in Hollandia, aliisque Confœderatis Provinciis  
coram Ministro, seu Magistratu Acatholico cele-  
brata valida censenda sint. At Eminentissimi PP.,  
quibus laudati Præfulis Petitio sub diem 17. Au-  
gusti 1737. proposita fuit, ponderosum rei mo-

B

men.

(a) Seff. 24. cap. 1. de Ref. Matr.

mentum pensantes necessarium duxere , absolutam  
 ejus definitionem maturiori examini reservare , in-  
 tereaque mandarunt rescribi Episcopo , ut Con-  
 juges de validitate proprii matrimonii non dubi-  
 tantes in bona fide relinquenter , neque à Sacra-  
 mentorum participatione deberent arceri , eorum  
 verò , qui vexantur scrupulis super suorum Matri-  
 moniorum validitate , peculiares casus , & circum-  
 stantias distinctim exponeret . Datis igitur juxta  
 hanc mentem literis , Sacrae Congregationis jussi-  
 bus sedulò obsequutus vigil Antistes jamdudum  
 respondit , atque inter multiplices casus , quos in  
 ejusmodi materia frequenter nimis tam in sua Dic-  
 cesi , quam finitimis in Regionibus ait occurrere ,  
 sequentes præsertim hisce verbis recensuit .

„ I. Casus , si Pars una Acatholica in his Ditioni-  
 bus Sacrae Cæsareæ Majestati , vel Regi Chri-  
 stianissimo subjectis domicilium habens Matri-  
 moniuin ibi contrahere velit cum alia Parte , vel  
 „ Catholica , vel Acatholica , pariter in iisdem Di-  
 tionibus Domicilium habente , judicat ipse , nimi-  
 rum Episcopus , absolutè sub pœna nullitatis ob-  
 servandum Decretum Concilii Tridentini . Idem  
 „ judicat de talibus , qui in ipsa Civitate M. sæ Tra-  
 jectina contrahere vellent , cum Civitatem illam  
 „ Status Hollandiæ non possideant jure Dominii ,  
 „ sed tantum oppignorationis . Idein judicat de  
 „ Præsidiariis militibus , quorum Legiones in iis-  
 dem Ditionibus erectæ sunt , cum nulla occurrat  
 „ ratio , quarè tales ab observatione Decreti Con-  
 ciliaris sese eximere vellent , cum Decretum eos  
 „ attingat tam qua locale , quam qua personale :  
 „ hujus judicii nostri approbationem , vel impro-  
 bationem ab EE. DD. enixè petimus . „ II.

„ II. Casus , Dubium tamen ab aliquibus mo-  
„ vetur , V. G. de Milite hæretico , qui cum sua  
„ Legione in centro Hollandiæ erecta ad has Par-  
„ tes venit , tamquam Præsidiarius , & hic Matri-  
„ monio jungitur coram Ministello , vel cum una  
„ Catholica harum Ditionum , vel etiam cum alia  
„ Acatholica , quæ cum eadem Legione ad has Par-  
„ tes venit . Pro ratione Dubii allegant , Legionem  
„ esse quasi Parochiam ambulantern , cuius Mini-  
„ stellus agit partes Parochi , ac Parochiam illam  
„ ambulante non teneri aliis legibus , quam tene-  
„ antur Parochiæ fixæ in centro Hollandiæ , in qui-  
„ bus non observatur saltèm ab Hæreticis Decre-  
„ tum Tridentini . In sic Contrahentibus potest esse  
„ bona fides , maximè ubi Pars utraque tempore  
„ contracti Matrimonii erat Acatholica . Pars una  
„ ad fidem convertitur , queritur , an in sic contra-  
„ hæto Matrimonio continuare possit ? Addendum  
„ tamèn , in Diœcesi Ippensi constanter hactenùs  
„ observatum , quod similia Matrimonia Partis Aca-  
„ tholicæ cum Acatholica coram Ministellis con-  
„ tracta semper habita fuerint tamquam invalida ,  
„ & sic contrahentibus , & in simili Matrimonio  
„ perseverantibus denegata fuerint Sacramenta .  
„ Gratissimum Nobis erit judicium rescire EE. DD.  
„ super hac nostra Diœcesis praxi . Optandum fo-  
„ ret , si in his partibus , in quibus tot immixti su-  
„ mus Hæreticis , matrimonia Subditorum Sacræ  
„ Cæsareæ Majestatis cum Acatholicis inhibita fo-  
„ rent , & invalida declarata saltem quantum ad  
„ effectus Civiles . Decretum illud multos certò  
„ averteret à contrahendis Matrimoniis talibus . Si-  
„ mile Decretum datum est à Rege Christianissimo

„in Novembri anno 1680., quo non tantum Matrimonia suorum Subditorum Catholicorum cum Hæreticis inhibet, sed insuper declarat invalidè contracta, proles ex talibus Matrimoniis procreatas illegitimas, & ad successionem Parentum inhabiles. Simile Decretum meditata est Sere-nissima Belgii Gubernatrix, & desuper anno 1734. judicium exquisivit Episcoporum Provinciæ, sed nihil hactenùs factum.

„III. Casus, & magis frequens est de duobus, qui in iis Provinciis Hollandiæ, quæ liberum jus hodiè habent Reipublicæ, Matrimonium contraxerunt coram Magistatu, vel Ministro Aca-tholico, bona fide putantes, id in iis Provinciis sufficere. Sic juncti ad has partes deveniunt cum Præsidiis Militaribus, vel aliis occasionibus. Hic existentes Parti Catholicæ, vel ei, quæ meditatur ad fidem Catholicam transire, inter colloquendum à Civibus Catholicis injicitur scrupulus de talium Matrimoniorum validitate. Hi anxii recurrent ad Confessarios, petuntque, quid sit de validitate talium Matrimoniorum. Pro validitate respondere non audent, quia Ecclesia hactenùs desuper non fuit locuta. Si respondeant, esse invalida, exinde consequitur, Parti Catholicæ deferendam esse Partem Acatholicam, quæ consensum coram Parocho Catholicò non vult renovare; deferendas proles, etiam sacerdios cum evidenti periculo perditionis illarum, utpotè quæ à Parte Catholica in fide instruuntur, vel saltem ad eam disponuntur, & Parti Catholicæ transeundum ad statum mendicitatis, quam duram conditionem multi sustinere non volentes,

„præ-

, præeligunt in suo Matrimonio permanere, &  
„Pars, quæ conversionem suam meditabatur, à suo  
„proposito resilit, videns, se post conversionem  
„ad tales extremitates redigendam.

„IV. Casus est, Titius Catholicus harum Pro-  
„vinciarum subditus cum navibus vectoriis, aliis-  
„que occasionibus devenit ad Partes Hollandicas,  
„ibidem Matrimonium contrahit cum Acatholica  
„coram Magistratu, vel Ministro Acatholico. In  
„eodem Matrimonio continuat ad plures annos,  
„etiam proles procreat. Postea suæ Uxorū per-  
„tæsus eam deserit, redit ad has Partes, & subti-  
„cens contractum in Hollândia Matrimonium,  
„hic alias nuptias contrahit, vel illud Matrimo-  
„nium declarans petit, eo non obstante, ad aliud  
„hic admitti, quia, ut supponit, Matrimonium  
„in Hollandia, ut ante, contractum, nullum  
„fuit. Quæritur, an talis in contracto hic se-  
„cundo Matrimonio continuare possit, vel ad  
„contrahendum secundum admitti; eo etiam non  
„obstante, quod, quando cum Acatholica Ma-  
„trimonium contraxit in Hollandia, revera cre-  
„diderit, se legitimè, & validè contrahere.

Præterea verò quatuor alios casus, qui novissi-  
mè contigerunt, in hæc verba exponit.

„I. Cornelius de Pouu Catholicus jam à virgin-  
„ti, & uno annis Matrimonium contraxit in Pa-  
„tria dicta Caßant sub ditione Statuum Hollan-  
„diæ, in qua ante hac publicatum fuit Tridenti-  
„num, cum Acatholica coram Ministro Hæretico  
„tantum, ex quo Matrimonio natae sunt quatuor  
„proles. Uxor Acatholica cum una prole à præ-  
„fato Cornelio recessit, ad Diœcesim nostram.

„jam à mense accessit sacerdctus Cornelius cum  
 „tribus prolibus, & petit jungi Matrimonio Pe-  
 „tronillæ Widein Mulieri Catholicæ eo titulo,  
 „quod prius Matrimonium in Hollandia, ut antè,  
 „contractum fuerit invalidum ex præfata Petronil-  
 „la modò prolem unam habeat. An ad Matrimo-  
 „nium admitti potest.

„II. Franciscus Boninge Winori Bergensis  
 „Diœcesis nostræ Orthodoxæ Fidei cultor anno  
 „1713. Matrimonium contraxit in Ulissinge Op-  
 „pido Geelandiæ sub ditione Statuum Hollandiæ,  
 „ut in priori casu, cum Anna Blusce Acatholica  
 „coram solo Ministro Acatholico, qua cum qua-  
 „tuor procreavit proles. Prædictus Franciscus,  
 „invita Uxore, tertio navigavit ad Indias; Re-  
 „dux petit accedere ad suam Uxorem Annam Blus-  
 „cè, illa propter iteratos recessus Mariti eum re-  
 „pellit. Repulsam passus, redit Dunchercam  
 „Civitatem Diœcesis nostræ, gerit se ut in-  
 „nuptum, meditatur Matrimonium cum Clara  
 „Hugeloors Dunchercana, illudque finaliter con-  
 „trahit anno 1732. coram Pastore Dunchercano,  
 „non obstante oppositione, & declaratione prio-  
 „ris Matrimonii in Hollandia contracti, & nulla  
 „à nobis obtenta bannorum dispensatione: Quæ-  
 „ritur, an in isto suo secundo Matrimonio con-  
 „tinuare possit? In ea hactenus fuimus opinione,  
 „eum non posse, & similibus Matrimoniis hacte-  
 „nus nos opposuimus, hoc motivo præter alia,  
 „quod, si talia Matrimonia Dunchercæ, utpotè  
 „portu Maritimo admitteremus, ea in dies forent  
 „admittenda cum Nautis, qui ad Portum conti-  
 „nuò appellunt.

„III.

„III. Casus, quem Nominibus, & Cognominibus exprimere non possumus, quia in actu ipso Sacramentalis Confessionis proponitur, est, ut sequitur. Pars Catholica cum parte Acatholica in centro Hollandiae Matrimonium contraxit coram Magistratu, vel Ministro Acatholico. Ibidem existentes nunquam dubitarunt de validitate sui Matrimonij; ibidem enim Confessarii nunquam pœnitentes molestant circa similia Matrimonia, vel quia non audent, vel quia putant valida. Dum ad has partes veniunt tanquam Præsidiarii Milites, aliud audiunt à Catholicis, quam audierunt in Hollandia; de suis Matrimoniiis dubitant, consulunt Confessarios, qui responsum dare non valentes, ad nos recurrent, & nobis ipsis cespitantibus nihil supereft, nisi ad S. Sedem recurrere.

„IV. Casus præcedenti affinis est. Titius Miles hæreticus ad has partes deveniens, & videns omnia, quæ in Ecclesia Catholica fiunt, quæ anteā nunquam viderat, solemnitatem Officiorum Divinorum, administrationem Sacramentorum, audiens conciones Catholicorum, mouetur ad amplectendam Religionem Romano-Catholicam, sed remoram videt ex parte Conjugis in hæresi obstinatæ. Si convertatur, non poterit ab ea recedere, non enim licitum est ipsis consulere, ut sine venia militiam deserat. Si à debito Conjugali abstinere velit, eum Uxor deseret Officialibus hæreticis, & sub pœna carceris, vel forte gravioribus cogitur adhærere Uxori suæ; Unde queritur, an post conversionem licebit ipsis cum Uxore cohabitare, ut ante.

His itaque ob oculos habitis, resumpto Folio sub dictam diem 17. Augusti 1737. distributo, perpensa elaborata doctissima Relatione Eminensissimi D. Cardinalis ab Alsatia Archiepiscopi Mechliniensis, qui sententiam suam super postulationibus Iprensis Episcopi aperire rogatus fuit, visisque demum, si placet, etiam Adnotationibus Secretarii una cum Resolutionibus, sive Rescriptis ab hac Sacra Congregatione per varia tempora editis sejunctim circumferendis, placeat EE. VV. statuere.

*An, & quomodo sit rescribendum Episcopo?*

## C.

R E L A T I O  
*Eminentissimi, & Reverendissimi Domini  
 CARDINALIS DE ALSATIA  
 ARCHIEPISCOPI MECHILNIENSIS.*

*Eminentissimi, & Reverendissimi D. mei  
 Observandissimi.*

**A**Ccepi Folia in Urbe impressa, quæ continent Dubia Sac. Congregationi Concilii die Sabathi 17. Augusti labentis anni proposita. & juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda, inter quæ præcipuum, & summi sanè momenti Dubium proponitur circa Matrimonia in Hollandia contracta citrè formam à Sac. Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. de ref. Matrim. præscriptam: Super quo dubio, & super expositis ibidem in utramque partim rationibus placuit EE. VV. sententiam meam exquirere.

Omn-

Omnibus igitur attentè perpensis , extimatis-  
que rationibus , quæ in supradictis Foliis in utram-  
que partem doctissimè simul , & studiofissimè al-  
lata sunt , primum illud occurrit examinandum ,  
an Sac. Conc. Trid. in Hollandia fuerit sufficien-  
ter publicatum , in ordine ut nova Tridentini  
constitutio ibi vim legis obtinuerit olim , & ob-  
tineant hodie , adeoque an ad mentem ipsiusmet  
Concilii Matrimonia præter formam præscriptam  
contracta irrita sint , atque invalida ? Video in di-  
ctis Foliis pag. 151. allegari plures Authores gra-  
ves , qui asserunt Concilium Tridentinum in om-  
nibus Provinciis Belgii fuisse publicatum . Verùm  
inter illos Authores nullus est Belga , & hi , alii-  
que ità sentire videntur , quia constat „ Philip-  
„pum II. Hispaniarum Regem jussisse sæpiùs , ut  
„ad publicationem Concilii , non obstantibus  
„quibuscumque oppositionibus , procederetur ,  
„& Margaritam Parmensem , Ducemque Albanum  
„Belgii Gubernatores dictam publicationem ur-  
„sisse , & modis omnibus procuraſſe . „ Hos cona-  
tus , jussiones , mandata loquuntur Historici om-  
nes , & agnosco Ego . Nihilominus mihi valdè  
dubium est , an in Hollandia , & confœderatis  
Provinciis sufficiens Concilii Tridentini publica-  
tio facta fuerit ; imò an fieri potuerit talis necessa-  
ria publicatio , qualem ipsummet Concilium re-  
quirit , adeoque an observantia constitutionis  
Tridentinæ unquam cum authoritate , & cum  
effectu inducta fuit in Hollandia , fœderatisque  
Provinciis .

Fridericus Schenkius primus , & unicus post  
novarum Sedium erectionem Archiepiscopus Ul-

trajectinus mense Octobri 1565. indixit Synodum Provincialem pro publicatione Tridentini facienda ex mandato Regis. Reclamarunt contrà Archidiaconi, Prælati, & Capitula quinque Ecclesiarum. Posthabita illorum protestatione, jussit publicationem fieri in Synodo die 31. dicti mensis Octobris; verùm, appellantibus plerisque, alia solemnis publicatio facta fuit in Metropolitana Ecclesia latinè, & ex domo publica Civitatis Belgicæ die 22. Junii 1566. Legitur etiam publicatio facta fuisse Delphis Oppido Hollandiæ, & Diœc. Ultrajectinæ, mense Augusto ejusdem anni 1566., cum nullum ob turbulenta tempora effectum habuisset, secuta est tertia publicatio Ultrajecti facta anno 1570., de quibus videri potest *Bat. Sac. par. 2. p. 19 & seqq.*, Cui Authori, quamvis Schismatico Presbytero Ultrajectino non est, cur fidem denegem in hac parte historiæ, quia nullam fallendi causam habuit, & pro Concilii Tridentini observantia semper stetit. Cæterum ne Schenkio quidem Archiepiscopo sat auctoritatis fuit ad Tridentini publicationem, & observantiam procurandam. Archidiaconi nempè antiqua jura non dimittebant: Et Cornelius Meropius. „Archidiaconus majoris Ecclesiæ, cui universa olim intra Civitatem, & aliquot in locis extra illam jurisdictione competebat, patrio idiomate Concilium Tridentinum annuntiavit.“ Quo successu in his, & in reliquis locis Diœcesis Ultrajectinæ, id ex sequentibus utcumque colligi poterit. *V. Bat. Sac. p. 19. & 55.*

Verum enim verò hæ tres diversæ Concilii publications ex Regio mandato factæ videntur fuisse meri

meri conatus , & omni effectu caruisse. Erat namque illis temporibus miserrima Ecclesiæ Batavæ facies , & inconomachia grassabatur per totum Belgium anno 1566. adeo , ut Magistratus Ultrajectinus coactus fuerit unam è Parochialibus Ecclesiis Civitatis S. Jacobo Sacram Hereticis permettere , & tradere die 27. Augusti 1566., id est , decem mensibus post primam , & duobus dumtaxat post secundam , & quatuor omnino annis ante tertiam Concilii publicationem ibidem factam , quæ Parochialis Ecclesia numquam fuit restituta , rebus semper in pejus labentibus , & tandem desperatis de quibus angustiis , & de eversa re Catholica loquuntur Historici omnes , & signanter videri potest , qui nuper ex professo (ut ajunt) hæc examinavit Ecclesiæ Meæ Metropolitanæ Canonicus , nunc etiam Archipresbyter E. P. Hoynch Van Pendreht in *hist. Eccl. Ultrae pag. 6. & 7.*, & in ejusdem *Specim. Grum. Brædeff. pag. 30. & 31.* Difficultates , & oppositiones publicationi Concilii factas adnotarunt Historici passim , & præ cæteris Nicolaus Burgundus Belga *primèr Professor Ingolstadiensis* , dein Senatus Brabantinus Vir Catholicus , & Scriptor accuratus , qui rem compendio exhibet his verbis , „ Primus omnium Archiepiscopus Cameracensis , nec sinè contentione , „ (Concilium Tridentinum) „ vulgavit. Eamdem „ enim Regionem necdum contagio latè insederat . „ post multum demum temporis Mechliniensis „ ægrè obtinuit. Ultrajectino pertinaciùs contra „ dictum. Canonici insolitum severitatem asper „ nabantur spernendi morum , & licentie assueti , „ cum Archiepiscopo crebrò intendebant certa „ men ,

„men, cuius frugalitatem pro vitiis oderant. Fri-  
 „siorum Civitates misere legatos in Curiam. Op-  
 „ponentibus majorum mores. Constituta , res-  
 „ponsum fuit, nihil adferri, cur morarentur de-  
 „siderium Regis, quod cæteræ Provinciæ tam  
 „promptè absolverant. Nec eosdem nunc scrupu-  
 „los sibi primùm moveri: plures Provincias idem  
 „agitasse ; Sed manere jura sua cunctis integra,  
 „quoad definierit Rex, quid de his fieri placeat.  
 „Non movebant hæc Frisios obstinatos adversus  
 „imperium : multique contradictionis auctorita-  
 „tem Gubernatricis destructam sequens motus  
 „languentem extinxit.

Inter Episcopos Suffraganeos Sedis Ultrajectinæ unicus legitur , Concilium Tridentinum in sua Dœcesi publicasse , nempe Daventriensis , quod serius ea Regio à fide , & ab Hispano Rege defec-  
 rit. Idem conabatur Middelburgenſis Episcopus ordinationibus suis , & Synodi Dicæcesanæ prælo Lovaniensi commissis , cum tota Zelandia à fide defecit. Reliqui tres , nempe Harlemensis , Levar-  
 diensis ; & ~~Groeningen~~<sup>Xen</sup> publicatione in Ultra-  
 jectina Synodo facta contenti ursere Tridentini Concilii observantiam , quantum quidem potuere , & hinc nata Authorum sententia asserentium , Concilium in fœderato Belgio publicatum fuisse ; prout etiam ad S. Sedem relatum fuit centum post annos in Relat. Archiepiscopi Ephesini apud Ho-  
 guek Hist. Eccl. Ultaj. par. 95.

Quid Schenekius Archiepiscopus post Synodi celebrationem egerit , id nos latet omne , & est mirum apud omnes Authores de hoc Præfule silen-  
 tium : quamvis superfuerit annis prope quinde-  
 cim,

cim, nempe usque ad 25. Augusti 1580. , quo die obiit. Nemo illi successit, sed Archiepiscopus Ultrajectinus cum quinque Suffraganeis Diœcesibus, Vicario Apostolico à S. Sede attributi sunt. Primus Sasboldus Vosmerus de publicatione Concilii dubius anno 1609. 28 Junii illud rui sum publicavit,  
„usurpans hæc verba; „Concilium Tridentinum....  
„alias publicatum iteratò vobis proponimus, & in  
„omnibus suis partibus observandum sub anathe-  
„matis pæna mandamus, renovantes, & confir-  
„mantes omnia, quæ felicis memoriæ Reveren-  
„dissimus DD. Egidius de Monte Episcopus Da-  
„ventriensis, & Joannes,, (verius Cornelius) à  
„Mirop Præpositus, & Archidiaconus Ultraje-  
„ctensis super hoc statuerunt. „ Bat. Sac. par.  
„ 55., & 67.. Hæc ille, veluti si daretur intelligi,  
nihil actum fuisse à Schenckio, totaque Synodo  
Ultrajectina, vel ipsos frustra fuisse conatos. Certè  
de publicatione facta in aliis Diœcessis Locis, ac  
pluribus Oppidis, nihil prorsus, post longum,  
& diligens examen invenitur actum : nimicum  
Dordraci, Leidæ, Gaudæ, Reterodami, Schie-  
dam, Gorcomii, Brilæ, Schoonhoviæ, Amesfortii,  
Dosestrandri, quod in qua tempora nihil simile per-  
miserunt. Et Henricus Cuyckius Episcopus Rure-  
mundensis Secundus anno 1596. institutus, vi-  
dens insigniora quoque Diœcessis suæ Oppida ab  
Hæreticis sibi erepta, uti Neomagum, aliaque, non  
dubitavit declarare verbis ex Authographo infra re-  
ferendis, Concilium Trid. illis in locis publica-  
tum vix fuisse, aut publicari potuisse.

Porrò ipsum met Concilium valde specialem  
publicationem *Capitis 1. de Reform. Matrim. re-*  
*quirit,*

quirit, & talem, inquit Zipanus *Conf. can. lib. 4. de Spons.*, & *Matrim. conf. 4. num. 3.*, qualis nulla exigitur in toto corpore juris, nimirum, ut Populo publicaretur, & explicaretur in singulis Parochialibus Ecclesiis, adeo ut non qualiscumque hujus Decreti conciliaris publicatio obliget, sed ea demum, quæ in singulis Parochiis facta fuerit. „ Proinde „ que Sac. Congregatio ejusdem Concilii Interpres „ alias declaravit non censeri satisfactum menti „ Concilii per publicationem in Regno, Provin- „ cia, aut in Synodo factam, sed necessariò publi- „ candum esse Decretum in singulis Parochiis, „ Ita *Eminentissimus Petra Const. XII. Joannis XXII. tom. 4. num. 33.* Jam verò, quo tempore Schen-kius Concilium publicare aggressus est Hæretici cuncta terrore repleverant, deficiebant Civitates, & Oppida diebus singulis, & quotidianæ erant Monachorum, Parochorumque apostasiæ à fide, ut statuendum videatur, quod non constet, & ratio-nabiliter dubitetur, an Concilium Tridentinum in singulis Parochiis per Hollandiam, cæterasque fœderati Belgii Provincias publicatum sit, aut publi-carri potuerit. Authores porro omnes, qui asse-runt, Concilium Tridentinum in Hollandia pu-blicatum esse, non loquuntur de publicatione facta ad mentem Concilii, id est in singulis Parochiis, prout in Belgio Catholico factum fuit, & patet ex Synodo Prov. Melch. I., quæ voluit, ut d. cap. I. non semel, sed sæpius Populo in concionibus proponerent Parochi. Sed illi, & hi Authores quoque, qui in scripto EE. VV. porrecto pag. 151. citantur, simpliciter scribunt, Concilium in Hol-landia publicatum fuisse, prout communiter hodie-

que

que apud nos dicitur ob cognitam scilicet Regis  
Philippi voluntatem, & imperium.

Non dissimulabo, quod Vicarii Apostolici Sas-  
boldus, & Rovenius pro munere suo Concilii  
observantiam, & signanter hujus *capitis* I. con-  
tinuò urserint, prout Decreta ab ipsis emissā, &  
relata in Bat. Sac. fidem faciunt: sed, an hæc De-  
creta sufficientis, & necessariæ publicationis vim,  
& robur obtineant, id enim verò non est valdè ex-  
peditum, quandoquidem, dum illi præessent,  
eversa esset tota Religio: tum quod ipsimet Vicarii  
Apostolici quidquam *publicare* prohibebantur per  
Status Acatholicos, per quos etiam in exilium missi  
sunt ambo, tum etiam, quod eorum Decreta vix  
divulgabantur, & nonnisi serò, maximoque cum  
periculo pervenire poterant ad manus, non jam  
Parochorum, (quales nulli amplius, ablatis jam  
templis, proscriptaque Religione Catholica, supe-  
rerant), sed Missionariorum latentium in occultis,  
ignotisque locis, qui quoque talem Tridentini  
Constitutionem sine capitis periculo Populo pu-  
blicare, & explicare in singulis Parochialibus Ec-  
clesiis non valebant, aut poterant. Quod adeo  
verum est, ut Episcopus Caftoriensis Vicarius quo-  
que Apostolicus anno 1668. (mitioribus nempe  
temporibus) evulgans constitutiones servandas à  
Presbyteris in fæd. Belgio laborantibus testatus fue-  
rit, quod „Constitutiones, quas Archiepiscopus  
„Philippus Rovenius emisit, temporum ratio, vel  
„infregerit, vel ferè antiquaverit. „

Porrò quoique hæc meæ circà Concilii Triden-  
tini non sufficientem promulgationem considera-  
tiones, & anxietates valere debeant, EE. VV. Sa-  
pien-

pientissimo judicio relinquō. Aliud aggredior, quod pariter in facto consistit, nempē illam obtinuisse praxim in fœderato Belgio; ut Matrimonia Hæreticorum absque forma Concilii contracta, ibidem rata, & valida habeantur; & quod Conjuges ad fidem conversi non soleant, *ad de novo contrahendum obligari.*

A quo tempore hæc praxis introducta fuerit, non liquet, verum illa incrementum ex probalata Sententia Episcopi Castoriensis Vicarii Apostolici, quam cum à visitatione sacrorum liminum reversus esset, consulta super hac re Sancta Sede omnibus per Hollandiam Sacerdotibus in cura animarum laborantibus annuntiavit, & quam refert Author Bataviæ Sacræ pag. 481., super qua à Prædecessore meo Alphonso de Berghes interrogatus Episcopus rescripsit eidem, prout in annexo Folio desumpto ex Authographo, quod in Archiviis meis conservatur. Ejusdem cum Castoriensi dum antea mentis fuit Henricus Cuiickius Ruremundensis Episcopus, qui ad Prædecessorem patiter meum Matthiam Hovium scripsit hæc verba ex authographo in iisdem Archiviis asservato „ De „ Matrimonii, quæ apud Perduellès, ubi publi- „ cum Catholicæ fidei profligatum est exercitium, „ absquè Parochi præsentia contracta sunt, & in „ dies contrahuntur, dici aliud non potest, quām „ rata esse habenda: nec illis obstatre Tridentinæ „ Synodi Constitutionem, talia irritantem Matri- „ monia iis in locis, ubi Constitutionis illius le- „ gitima facta est publicatio. Ea enim constitutio „ pluribus in locis vix publicata est antè Catholicæ „ Religionis proscriptum exercitium, & post sub- „ secu-

, secutam longissimi temporis perduellionem , nec  
„unquam repetitam , aut renovatam eam publica-  
tionem , tum in Civitatibus , tum maximè in Pa-  
„gis jam dudum oblitterata censeri debet , & junio-  
„ribus prorsus incognita est ea constitutio , ejusque  
„publicatio „ Ubi observo , quod testante Epis-  
cupo Cuiickio , Concilii Tridentini constitutio , &  
publicatio junioribus in Diæcesi sua huic meæ  
Sedi Metropolitanæ suffraganea *incognita* esset ante  
quadraginta annorum lapsum . Publicatio enim  
per Provinciam Mechlinensem facta est anno  
1570. , & Cuiickius obiit anno 1609.

His præmissis , ut istius Sacrae Congregationis  
jussioni satisfaciām , dubia , quæ EE. VV. in lau-  
dato scripto typis impresso proposita sunt , in quos-  
dam articulos dividenda duxi , ut mentem meam ,  
& votum dilucidius exponam .

I. *Duo Acatholici Hollandi , contracto Matri-  
monio coram Ministro , vel Magistratu Acatholicis ,  
convertuntur ambo ad fidem , queritur , an Matri-  
monium sit nullum , & ritu Catholico renovandum ,  
servata forma Concilii Tridentini .*

Ad hanc quæstionem de jure respondere ad so-  
lam spectat S. Sedem Apostolicam . Quarè referam  
de sola praxi observata in Hollandia , & de ratio-  
nibus , quibus illa innititur .

Igitur EE. Vestras certiores facio , ab omnibus  
omnino Missionariis Secularibus , & Regularibus  
talia Matrimonia haberi valida , & nullo prorsus  
scrupulo illos desuper angi , ac nunquam ipsos  
adigere Conjuges conversos , ut de novo contra-  
hant . Quinimo Matrimonia inter Catholicum , &  
Acatholicam , ac viceversa eodem modo cocontracta ,

habentur valida ad minus in ratione contractus, nisi pars Acatholica esset Anabaptista, & non baptizata. Hæc praxis à tempore Episcopi Castoriensis, idest ab anno 1671. universaliter introducta, & observata fuit, eo quod ille Româ reversus, tam verbis, quam scriptis declaravit, sibi à S. Officio mandatum fuisse, ut sequeretur, *quod saluti animalium maximè crederet opportunum*, prout pariter testatus est apud Prædecessorem meum, ut est in annexo Folio. At qui, inquiunt Missionarii Hollandi, S. Sedes non ignoravit hanc praxim à Castoriensi introductam, & is non caruit Adversariis, qui Romæ exponerent, quid ille tanquam à S. Sede acceptum, allatumque deprædicabant, prout re ipsa contigisse asserit *Martinus de Suaven de Spons. duorum citatus in scripto Sac. Congregationis exhibito*, porrò S. Sedes non contradixit, & non vetuit praxim, quæ jam sexaginta & amplius annos obtinet.

Rationes hujus praxis receptæ allegant duas, unam, ne Religio Catholica illis in partibus, si docerent, Acatholicos omnes tali modo conjunctos esse fornicatores, & ex fornicatione natos, maximopere odiosa fieret Acatholicis, & acerbissimam in se persecutionem excitaret. Altera, ut facilior redderetur conversio Acatholicon, dum conjugi Acatholico conversionem procrastinante, parti Catholicæ licitum est, in matrimonio ita contracto permanere sine contumelia Creatoris. Ex hac praxi concludunt Missionarii Hollandi, quod cum, sciente, & non prohibente S. Sede, illa jam tanto tempore obtinuerit, Ecclesia derogant Legi Tridentinæ, aur saltem pro Hollandia relaxarit.

Dix

Dixi Matrimonia in Hollandia contracta ibidem rata haberi saltem in *ratione contractus*: quia illi Missionarii ex scholis nostratibus eò missi, qui separant contractum Matrimonialem à Sacramento, & tenent, Parochum; non autem Contrahentes esse Ministrum Sacramenti, hi, inquam, hanc alteram habent praxim: quod etsi credant, talia Matrimonia esse valida, tamen ea renovari curant, dum utraque pars convertitur, & dūm id commodè fieri potest: allegantes pro ratione, I. quia certius est, Matrimonium subsistere, quod coram Parocho, & Testibus initur. II. Quia Benedictionis Sacerdotalis participes tunc fiunt, III. Quia probabilitè etiam Sacramentum, & gratiam Sacratienti tunc suscipiunt, certum non sit, an noti sufficiat pro materia Sacramenti Matrimonii illa renovatio consensus, ut aliqui Doctores adnotant: Et hæc forsitan ratio est, cur in locis Catholicis de novo coram Parocho, & Testibus post separationem, & peractam pœnitentiam contrahere jubeantur illi, qui ab ante invito, & renitente Pastore in ipsius, & Testium præsentia contraxerint.

II. Casu, quo una pars supradictorum conjugum convertatur ad fidem altera in heresi permanente, queritur, an pars Catholica possit relinquiri in illo coniugio, & in bona fide, & admitti possit ad Sacraenta Pœnitentia, & Eucharistia.

In tota Missione Hollandica obtinet praxis, ut pars conversa in Matrimonio relinquatur, & perfecta pœnitentia, ad Sacraenta admittatur. Et ejusdem mentis est Eminentissimus Petra, & la Croix relati in scripto Sac. Cong, oblate pag. ibidem

dem 156. Nam ut supponitur, Matrimonium in ratione saltem contractus est validum. Hæc autem sententia, velideò est amplectenda, & oppositæ præponenda, quia conversioni favet, & tranquillitati publicæ: Nam si pars conversa separari deberet à parte hæretica (prout certò in opposita sententia fieri deberet) innumeræ sequentur difficultates, maximè ubi proles jam esset nata: ex quibus se extricare nullatenus posset pars conversa, nisi Patriam relinqueret, & sic omnes omnino Missionarii evidenti periculo exilii, aliorumque gravium malorum subjicerentur.

Quare videtur quoque Parochus talibus non debere Sacra menta denegare: sed partem verè conversam paterno affectu amplecti, & quamdiu altera pars conversa non fuerit, nihil de Matrimonio imprudenter effutire: Sic enim melius consuletur educationi prolis in fide Catholica, & faciliùs allicietur ad fidem pars nondum conversa, quæ alias forsitan resiliret, dum resciret, se usque modò in continua vixisse fornicatione, & resilendo prolem secum adduceret ad Tempa Acatholicon, uti experientia docuit.

III. Quæritur, an expedit diffinitivè declarare ex authoritate Apostolica, Matrimonia Hollandom citra formam à Concilio Tridentino præscriptam contracta nulla esse, & invalida?

Episcopus Castoriensis testatus est, quod anno 1671. sibi Roma responsum fuerit à S. Officio: *Non convenire, ut quæstio à se postposita à sancto Officio definitur.*

Et hæc Sacra Congregatio sub die 23. Augusti 1681. se abstinens ab explicita declaratione nullitatis

litatis dictorum Matrimoniorum rescripsit : *Ad mentem cum Sanctissimo scilicet si esset respondendum dubio esset, respondendum negativè, & huic sententiæ inhæsit die 30. Februarii 1683.* Ita in supradictato scripto in Sac. Congregatione exhibito pag. 154.

Si tempore Castoriensis Episcopi, & decennio post, visum fuerit, talem decisionem non expeditre, patientur EE. VV., ut hodie judicem, talem decisionem horrendum in modum obfuturam bono Religionis in Hollandia, cujus rei ratio frustra à me multis verbis allegabitur, dum illa EE. VV. minimè lateat. Unum illud exponere liceat : Evidentissimum, & inevitabile Religioni Catholicæ exitium imminere, dum ex tali declaratione Rectores Reipublicæ fœderati Belgii intelligerent, se post centum quinquaginta annos demum damnari, tamquam in continua fornicatione viventes, ex fornicatione natos, & non nisi prolem fornicariam gignentes. Vereor etiam, ne Jansenistæ nondum subacti, & non omni potentia exuti in S. Sedem crudeliter insurgerent, & ipsos met Republicæ Rectores in universos Romano-Catholicos, omnesque Orthodoxos Missionarios implacabiliter concitent; prout nuper effecerunt occasione Officii S. Gregorii Papæ VII. quandò exiit Edictum juramenti ab omnibus omnino Missionariis præstandi sub poena exilii, aliorumque maiorum. Quarè etiam supposita Sac. Conc. Tridentini promulgatione sufficienti, & per omnes, ac singulas Parochiales Ecclesias, censeo non expedire, ut talis diffinitiva edatur declaratio nullitatis Matrimoniorum in Hollandia citra præscrip-

tum Concilii contractorum. Verum est, Aca-  
tholicos hanc gratiam non mereri, sed bonum  
Religionis, & Fidei Catholicæ conservatio, nec  
non quinquaginta millium Romano-Catholico-  
rum in fœderato Belgio degentium commiseratio  
hanc gratiam videntur mereri in re, quæ est solius  
juriſ pōſitivi Ecclesiastici.

Omnibus consideratis, sinant EE. VV., ut  
ſenſentiam meam totaliter, & integrè aperiam.  
Non videtur mihi ſufficere, ut Matrimonia, de  
quibus quæſtio, ſimpliciter tollerentur, prout  
hactenus illa tolerata fuere: Nam ſic Episcopis,  
Parochis, & Missionariis ſupersunt, & remanent  
eadem perplexitates, anxietates, & dubia, de  
quibus meritò apud hanc Sacram. Congregatio-  
nem conqueritur Episcopus Iprensis, & quæ me  
etiam ſubinde vexarunt, & aſcipitem reddiderunt,  
& Salvo Sanctitatis Suæ supremo Oraculo, judico  
expedire in re adeo perplexa, ut pro ſalutē ani-  
marum, & pro incremento Fidei Catholicæ in  
fœderatis Provinciis (in quibus Concilium Tri-  
dentinum ſufficienter fuīſe publicatum non con-  
ſtat) Summus Pontifex legem latam per Concilium  
Tridentinum ex ſuprema authoritate relaxet, &  
ſuper dicto impedimento novo cum Incolis Pro-  
vinciarum illarum diſpenſet; quando cefſabunt  
gravissima incommoda, converſio ad fidem Ca-  
tholicam reddetur facilior, diſſidia, & odia non  
orientur inter partem Catholicam, & hæreticam  
ratione consensus, quem pars hæretica non volet  
renovare coram Parocho; una pars alteram non  
deſeret, nec ad aliud Matrimonium convolabit;  
vitabuntur fornicationes non tantū formales,

ſed

sed etiam materiales, quæ, dum fieri potest, impediti quoque debent. Denique pars Catholica sine ulla anxietate ad Sacraenta admitti poterit.

Liceat quoque illud adnotare, quod in Matrimoniis Hollandicis, pro more, & secundum leges Regionis celebratis, nimirum præmissis tribus proclamationibus, super quibus numquam dispensatur, & adhibitis duobus Testibus, qui semper ibidem adhibentur, obtineatur finis à Concilio intentus; qui fuit, ut gravissima peccata, quæ ex clandestinis Matrimoniis sequebantur, efficaciter impedirentur; præsertim eorum, qui hac occasione in statu damnationis perseverabunt, dum priori Conjuge, cum qua contraxerant, relictæ, contrahebant cum alia publicè, quia prius Matrimonium probari non poterat: Et sic cum posteriori conjuge in perpetuo adulterio vivebant; atque hic finis etiam obtinetur per Matrimonia coram Magistratu Acatholico in Hollandia contracto.

Postremò ad EE.VV. notitiam deducendum existimavi, spem esse non infundatam, ut ipsime Status Hollandiæ modum ponant frequentibus illis conjugiis inter disparis Religionis homines, unde Ecclesiæ Catholicæ non modica adveniret utilitas: dum ex illis Matrimoniis tam bene nascitur periculum perversionis partis hæreticæ, & proles non periclitabitur de fide; certe anno 1728. proponente Magno Pensionario in ordinario statuum congressu, deliberatum fuit, ut ad impediendas rixas, dissidia, & alia varia incommoda provenientia ex Matrimoniis prætensi Reformati cum Catholicæ non liceret ulli Reformato-

aut illi, quorum Parentes actualiter, aut, dum viverent, religionem reformatam profitebantur, conjugium inire cum Catholica; & quod proles ex similibus prohibitis Matrimoniis natū essent illegitimi, & legitimari non possent. Porro die 30. Aprilis 1732. constituerunt in alio ordinario congressu hanc propositionem executioni mandare, & per Edictum promulgare, quod ultimum tamen usque in hunc diem (incompertum ob quas causas) ad effectum deductum non est, nisi nuper admodum pro solis Officialibus militaribus.

Igitur, ut votum meum ad præmissa dubia distinctè apud EE. VV. proferam, censeo ad pri-  
mum: *Matrimonia Acatholicorum in Hollandia contracta citra formam à Concilio Tridentino præscriptam, rata esse & valida, ac minime renovanda, si nullum obstat impedimentum Canonicum.*

Censeo ad secundum, partem conversam posse reliqui in illo Conjugio taliter contracto, & in bona sua fide, atque à Parecho posse, & debere admitti ad alia Sacra-  
menta, servatis servandis.

Censeo ad tertium: Non expedire solemniter declarare Matrimonia Hollandorum esse nulla, & invalida, etiam si S. Sedi videretur statuendum esse, quod ea nulla, & invalida sint: idque ob gravissima, & inevitabilia mala Religioni Catholicae ex tali declaratione imminentia. Et EE. VV. manus humillimè deosculor.

Miechliniae die 18. Octobris 1737.

EE. VV.

*Humillimus, & Devinctissimus Servitor verius*

Tho. Cardinalis de Alsatia.

D. AD.

D.

ADNOTATIONES  
SECRETARII  
IN CAUSA

Iren. Visitationis Sacrorum Liminum.

ARTICULUS PRIMUS.

An Decretum Sacri Concilii Tridentini Cap. I.

Seſſ. 24. de Ref. Matrim. fuerit in Hollandia, cæterisque Provinciis Confœderatis promulgatum.

**R** Eligiosissimus Hispaniarum Rex Catholicus Philippus II., ut eximio, quo erga Apostolicam Sedem cultu, studioque gloriatur, ejus Ecclesiasticis Sanctionibus obsequetur, quum primùm accepit, Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Decreta fuisse à Summo Pontifice Pio IV, solemini sua Constitutione sub datum dici 24. Januarii 1564. confirmata, statim edidit, ut eadem in singulis Statibus, atque Provinciis sibi subjectis promulgarentur, utque Reatores, ac Præsides ipsorum Statuum, & Provinciarum curarent ibidem ea recipi, atque observari: Id verò cum feliciter in Hispaniarum Regnis successisset, non æquà rerum tranquillitate, pa- riique animorum consensione obtineri potuit in Belgio, aliisque finitimis Provinciis, quas eo tem- pore Regis Fratris sui nomine gubernabat Marga- rita Austriaca, Parmensis nuncupata: Licet enim

C. S.

Phi.

Philippus Sororem Suam monuisset. In diligentissima publicatione, & celeri executione Concilii Tridentini nullo motivo impediri debet. Iterumque aliis in literis eidem mentem suam aperuisset in hæc verba: *Nobis nullomodo placet, ubi minimum quid in publicatione Sanctæ Synodi exciperetur, ne querelis ansam demus; Iura Regis, & Provinciarum, omnibus ritè perpensis, dum de Concilio promulgando in Hispaniis agetur, easdem, subministrabunt difficultates; ast ubi datum aliquod temperamentum, omnis evadet discussio; ac ita desiderat ipse, ut eandem in Flandria sequantur methodum.* Quæde causa mittit copiam formæ promulgationis in Hispania factæ, ut omnes populi suo subditi imperio eandem imitentur normam. Juxta testimonium, quod hac de re perhibet Clar. Mem. Card. Pallavicinus in Histor. Concil. Trident. lib. 14. cap. 12., Tot tamen, tantique tumultus sub illa tempora, & ea occasione in prædictis Regionibus sunt excitati, ut merito in controversiam revocari posse videatur, num Sacrum Tridentinum Concilium, & præsertim ejus cap. 1. sess. 24. de Reform. Matrim. fuerit in Hollandia, cæterisque Provinciis Confoederatis, juxta legem ab eodem Concilio indicatam, promulgatum; cùmque ad rem, de qua agitur, id præ primis stabiliendum sit, haud inutile erit, momenta, quæ in utramque partem adduci possunt, paulo fusiūs exponere.

2. Ut itaque exordium sumatur ab iis, quæ promulgationem Tridentinæ Synodi in enunciatis Regionibus secutam videntur evincere, occurrit primò authoritas plurium non obscuri nominis Historicorum, qui referentes præmissos Catholicis Regis

Regis Philippi jussus , eosque tantā animi firmitate ab ipso iteratos , posthabitis quibuscumque Magistratum multipliciter obnitentium contradictionibus , omnia , & singula Tridentinorum Patrum Decreta sine ulla penitus imitatione promulgari præceperit , inde conjectant , afferuntque , ejus imperatis fuisse paritum ; uti præ cæteris videre est apud Spondanum ad annum Christi 1565 . num. 5. , Famianum Strada de Bello Belgico dec. 1. lib. 4. in fin. Card. Bentivoglio delle Guerre di Fiana lib. 2. pag. Mihi 22. , & Card. Pallavicinum in Histor. Concil. Trident. lib. 14. cap. 12. , qui , post relatas præinsertas Philippi literas , in hæc verba concludit : *Pietas illa Philippi Regis uti & ea Sebastiani , ac Italorum Principum Concilio subjectas indicavit Regiones occidentales unius & alterius orbis , partem septentrionis , Indias , Orientales , multasque Africæ plagas.*

3. Secundò in eamdem sententiam conveniunt graves Theologi , & Canonistæ ; ubi enim agunt de famigerato Tridentinæ Synodi Decreto irritante Matrimonia , quæ sine Parochi , ac duorum saltuum testium præsentiâ imposterum contraherentur , appositiè tradunt , eamdem Synodus fuisse in saepedictis Provinciis evulgatam , inter quos sunt Bruno Neusser Disput. 182. num. 4. , de Veryviis art. 1. , Reiffenstuel. in Jus Can. lib. 4. tit. 3. §. 3. num. 137. in fin. Schmalzgrueber eodem loco num. 115. & seq. Verricell. de Apostolic. Mission. tit. 12. de Matrim. quest. 172. sect. 1. , Platelius in Synopsis Cursus Theolog. par. 5. cap. 7. §. 5. de Clandest. Matrim. num. 1123. , Arsdekin. Theologia Tripartit. Tom. 2. par. 2. tract. 4. cap. 8. de Matrim.

§. 4. num. 2., *La Croix Theolog. moral. lib. 6. part.*  
 3. de Matrim. num. 767., *Eminentissimus Petra*  
*in suis doctissimis Commentar. ad Const. 2. Ieannis*  
*XXII. n. 23. tom. 4., & alii.*

4. Tertiò concurrunt testimonia, quæ non  
 semel perhibuere tum Apostolici Vicarii, tum  
 Missionarii in eas Regiones allegati; quippe qui  
 consulentes modò unam, modò alteram ex Sacris  
 Congregationibus Urbis, num Matrimonia ibi  
 coram Acatholico Ministro inita deberent rata cen-  
 seri, juxta casus expositos in Folio in hanc Cau-  
 sam distributo sub diem 17. Augusti superioris an-  
 ni §. *Verumtamen*, & duob. sequen., pro certo  
 assumere videntur, Tridentinum fuisse illic pro-  
 mulgatum; secus enim dictorum Matrimoniorum  
 validitatem, quam de cætero conati sunt aliquan-  
 do propugnare, in defectu promulgationis Tri-  
 dentini facillimè constituissent.

5. Accedit demum non semel pandita Sacra  
 hujus Congregationis opinio; sive enim attenda-  
 tur Dubium in Causa *Hollandia Matrimoniorum*  
 in hæc verba conceptum, - *An in Provinciis Belgii*  
*Confœderatis valeant Matrimonia Catholicorum*  
*cum Etherodaxis contracta coram Magistratu hære-*  
*tico, non obstante Decreto Concilii de Solemnitatibus*  
*Matrimonii in illis Provinciis publicata, & recepta,*  
*cui sub diem 23. Augusti 1681. rescriptum fuit:*  
*Ad mentem cum Sanctissimo: Mensautem explica-*  
*ta est - Si esset respondendum, respondendum esse*  
*negativè, - ut in lib. 31. Decr. pag. 452.; sive ra-*  
*tio habeatur posterioris Resolutionis datæ in Bos-*  
*culdenc. Matrimonii 3. Februarii 1683. ubi,*  
*disceptatis Dubiis I. An si quis, dum erat hereti-*

cus, Matrimonium contraxit coram Magistratu, vel Ministro heretico, & postea convertatur ad fidem Catholicam, requiratur ad validitatem hujusmodi Matrimonii novus consensus utriusque Conjugis, vel Conversi tantum. II. An, quatenus hujusmodi novus consensus praestari commode nequeat, nihilominus indulgendum sit, ut in hujusmodi Matrimonio possit Conversus licite perseverare, rescriptum pariter fuit - *Ad mentem*, - quæ in hunc pariter modum legitur exposita: *Mens est*, quod servetur id, quod fuit observatum in simili casu à Sacra Congregatione Concilii in una Hollandiae Matrimoniorum 13. Augusti 1681. lib. 33. Decret. pag. 52. & seqq., res utique absoluta videtur, Sacram Congregationem de sufficienti promulgatione Tridentini Concilii, & signanter ejus Decreti sub cap. 1. Sess. 24. de Reformat. Matrim. jam pridem secuta in Hollandia, aliisque Confœderatis Provinciis nequaquam dubitasse.

6. At adversus hæc non levia sunt, quæ opponuntur, quæque, si non probant omnino per negativam, ut dici solet, coarctatam, Tridentinum in Hollandia, aliisque confœderatis Provinciis promulgatum non fuisse, rem saltem videntur in magna dubietate constituere; siquidem pro eo, quod pertinet ad historica monumenta, ponderandum in primis sese offert, omnes fermè Authores in eo convenire, quod sub annum 1564. truculentissima bella, civilesque seditiones cœperint in dictis Provinciis excitari, ita quidem, ut in sequenti anno 1565. jam fuisset illuc ab Heterodoxis lethale heresis venenum latè diffusum: unde Altaribus præsertim dirutis, sacris Imaginibus è Templis

Templis undequaque abrasis , falsaque Doctrina  
 ab Exedris publicè disseminatâ , Catholici Pastores  
 à Parochiis suis exulare cogerentur , ac mala tan-  
 dem eòusque devenerint , ut circa annum 1572.  
 totam fermè Hollandiam , Zelandiam , ac Frisiā à  
 Catholico Rege , & ab avitâ Religione miserimè  
 defecisse , enarrent *Famianus Strada de Bello Belgico*  
*dec. 1. lib. 4. in fin. Card. Bentivoglio delle Guerre*  
*di Fiandra lib. 2. pag. mihi 22.* hinc enim videtur  
 inferri posse , Tridentinum Concilium , ac præci-  
 puè Decretum cap. 1. Sejj. 24. de ref. Matr. nequi-  
 visse iis in Regionibus promulgari , quemadmo-  
 dum ratiocinantur nonnulli Authores , quos tacito  
 nomine refert *Marchantius in Tribunalis Sacram.*  
*Tom. 3. part. 3. tractat. 1. tit. 7. quæst. 10. concl. 3.*  
 ubi primùm sic habet : „ Porro quidam chronolo-  
 gico argumento non malè probant , Concilium  
 Tridentinum , & hanc maximè legem de præsentia  
 Parochi , nec sufficienter promulgari , nec ulu-  
 communi firmari à principio in Hollandia po-  
 tuisse ; quia anno 1563. quo primùm Romæ  
 promulgatum est , in Provinciis illis Belgii erant  
 truculentissima bella , & seditiones civiles , hære-  
 ticas , & hæresibus jam grassantibus , & venenum  
 suum diffundentibus , ita ut anno 1565. Templa  
 spoliarentur , Iconoclastarum furore Imagines &  
 Altaria destruerentur ; Pastores suis Parochiis ex-  
 turbarentur , conciones hæreticæ publicè fierent ,  
 boni , & fideles Reges exularent , donec tandem  
 anno 1572. tota Hollandia , Zelandia , Frisia à Re-  
 ge Catholico , & avitâ Fide deficeret , : deinde  
 verò ex recensita historia in hæc verba concludit : „  
 „Quis hisce concussionibus , & turbulentio Patriæ  
 statu

„statu credat, Concilium Tridentinum in Locis  
 „tam afflictis fuisse legitimè promulgatum & usu  
 „communi Legem de præsentia Parochi receptam?  
 „Maximè cum Parochi exularent, ita ut nullus Sa-  
 „cerdos auderet comparere, unus fuerit Fidelium  
 „luctus, quod ad Sacraenta etiam necessaria, quæ  
 „horum plenam fidem faciunt. Et quamvis re ipsa  
 Tridentinam Synodum à Friderico Schenkio  
 primo Ultrajectino Antistite semel, iterum, ac ter-  
 tio sub annos 1565. 1566. & 1570. ab Archie-  
 piscopis Cameracensi, & Mechlinensi, & demum  
 ab uno ex Suffraganeis Ultrajectinæ Sedis, nimi-  
 rum ab Episcopo Daventriensi, promulgatam  
 fuisse, referat *Author Bataviæ Sacræ par. 2. n. 19. &c seq.*, dubitandi adhuc locum de sufficienti saltem  
 promulgatione evidentur præbere difficultates, im-  
 pedimenta, atque oppositiones à Cathedralium, &  
 Collegiarum Capitulis, Archidiaconis, aliisque  
 inferioribus Prælatis, itidemque à secularibus ea-  
 rumdem Provinciarum Magistratibus interjecta,  
 ne Tridentinæ Sanctiones publicâ authoritate pro-  
 mulgarentur; magisque, in earum fieret acceptatio,  
 vel sequeretur executio, quemadmodum ex Histo-  
 ricis scripsere *Card. Bentivoglio delle Guerre di Fi-*  
*andra lib. 2. fol. mihi 45. 48. & 117.*, præcitatus  
*Author Bataviæ Sacræ part. 2. pag. 19. & seqq.*,  
*Hoynck Van Papendrecht, in hist. Eccl. Ultraject.*  
*pag. 6. & 7. & in ejusdem specim. Grud. Broeders.*  
*pag. 30. & 31. & præceteris Nicolaus Burgundus*  
*Belga, & author accuratissimus rem totam in hæc*  
*verba exhibens:,, Primus omnium Archiepiscopus*  
*„Cameracensis, nec sine contentione (Concilium*  
*„Tridentinum) vulgavit. Eamdem enim Regio-*  
*„nem*

„nem nec dum contagio latè infederat. Post mul-  
 „tum demum temporis Mechliniensis ægrè obti-  
 „nuit; Ultrajectino pertinacius contradictum.  
 „Canonici insolitam severitatem aspernabantur,  
 „spernendi morum, & licentia assueti, cum Archie-  
 „piscopo crebrò intendebant certamen, cuius fru-  
 „galitatem pro vitiis oderant. Frisiorum Civitates  
 „misère Legatos in Curiam; opponentibus Majo-  
 „rum mores, & Constituta, responsum fuit, nihil  
 „adferri, cur morarentur desiderium Regis, quod  
 „cæteræ Provinciæ tam promptè absolverant. Nec  
 „eosdem nunc scrupulos sibi primùm moveri: Plu-  
 „res Provincias idem agitasse; sed manere Jura sua  
 „cunctis integrâ, quoad disquisierit Rex, quid de  
 „his fieri placeat. Non movebant hæc Frisos ob-  
 „stinatos adversus imperium; multisque contradic-  
 „tionibus autoritatem Gubernatricis destructam  
 „sequens motus languentem extinxit.

8. Augetque dubitandi occasionem defectus  
 certi alicujus monumenti, ex quo peculiariter elici-  
 queat promulgatio sæpedicti cap. 1. Sess. 24. de Re-  
 form. Matrim. ; Cum enim præcitati Authores  
 eam videantur inferre ex sola generali promulga-  
 tione Concilii Tridentini; hæc tamen sufficiens  
 non præbet argumentum afferendi, quod factum  
 fuerit satis legi indictæ à Tridentinis Patribus, qui  
 de hac sanctione agentes præceperant omnibus  
 Ordinariis, „ ut cùm primùm poterint, curent  
 „hoc Decretum Populo publicari, ac explicari in  
 „singulis suarum Diœcesum Parochialibus Eccle-  
 „siis; idque primo anno quām sæpiissime fiat: de-  
 „inde verò, quoties expedire viderint: utque hu-  
 „jusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum  
 „robu-

,, robur post triginta dies habere incipiat à die pri-  
 ,mæ publicationis in eadem Parochia factæ nume-  
 randos, „ & notant Fagnan in cap. Quod à Prede-  
 cessore i. n. 143. de Schismatic. , Reiffenstuel in  
*Jus Can. lib. 4. tit. 3. de Clandestin. despon.* n. 21.  
 Schmalzgrueber eodem loco §. 2. num. 98.

9. Et sanè ipsi quoque Historici Scriptores, pro-  
 mulgatum afferentes Tridentinum in illis Provin-  
 ciis, nullum adferunt testimonium, ex quo com-  
 pertum fiat, toties dictum Decretum aliquo tem-  
 poris spatio fuisse inibi observatum; quum de cæ-  
 tero validius argumentum pro inferenda promul-  
 gatione memorati Decreti iüs in locis, ubi satis de-  
 illa non constat, erui soleat ex observantia, si nimi-  
 rum doceatur, ibi aliquando Matrimonia cum Pâ-  
 rochi, ac Testium præsentia fuisse celebrata, ut  
 appositè notant Fagnan. in dicto cap. Quod à Prede-  
 cessore. i. num. 143. de Schismatic. Pignattelli  
 Tom. 4. consult. 79. num. 40. Schmalzgrueber in *Jus*  
*Can. lib. 4. de Clandest. desponsat.* §. 2. num. 100.  
 & Marchantius in *tribunal. Sacram.* Tom. 3. part.  
 3. tract. i. tit. 7. quæst. 10. Concl. i. utens hoc ar-  
 gumento sic ait,, In locis Hollandiæ, Zelandiæ,  
 , Frisiæ &c. in quibus non constat, legem Triden-  
 tini fuisse legitimè promulgatam, & ex vi ejusdem  
 „ Concilii aliquo notabili tempore, saltem unius,  
 „ vel alterius anni, communiter, & passim obser-  
 ,vatam, pro non promulgata habenda est; „ & con-  
 sonat Rescriptum Sacrae Congregationis relatum  
 per Farinac. par. 4. decis. seu Resolut. ejusdem Sacrae  
 Congregationis fol. mihi 271., ubi eadem Sac. Con-  
 gregatio, ab Episcopo Tricariensi consulta circa  
 formam Matrimoniorum, quæ in partibus Hollan-  
 dia,

diæ, Zelandiæ, & Frisiæ contrahuntur, ita respon-  
 dit: „ Ubi hoc Decretum nondum est publicatum  
 „ in Parochia, valet Matrimonium contractum ab-  
 „ que observatione formæ à Concilio præscriptæ,  
 „ Publicatio autem Decreti facta præsumitur, ubi  
 „ Decretum ipsum fuit aliquo tempore in Parochia,  
 „ tamquam Decretum Concili, observatum „ In  
 idemque collimat altera Resolutio edita in Constan-  
 tinopolitana 2. Decembbris 1634., in qua respon-  
 sum fuit Rituale Romanum de Sacramento Ma-  
 trimonii continens formam Decreti Sacri Con-  
 cilii cap. 1. Sess. 24. de refor. Matr. observatum  
 „ in singulis Parochiis Civitates Peræ tamquam De-  
 cretum Sacri Concilii, & Summi Pontificis Ro-  
 mani, inducere sufficientem præsumptionem pu-  
 blicationis ejusdem Decreti, ita ut in celebratione  
 Matrimoniorum pro illorum validitate servanda  
 sit forma ab eodem Sac. Concilio præscripta, „ ut  
 in lib. 15. Decr. pag. 130. Unde à contrario sensu,  
 ut dici solet, meritò inferri posse videtur, quod,  
 ubi minimè constat, controversum Tridentini De-  
 cretum fuisse aliquando observatum, non debeat  
 promulgatum censi.

10. Neque magnum momentum videtur con-  
 stitui posse in aliis Resolutionibus ejusdem Sacra  
 Congregationis præcedenter allegatis ; quippe  
 quæ declarantes invalida Matrimonia in sæpedictis  
 Provinciis confederatis absque Parochi, & Te-  
 stium præsentia celebrata, tametsi citra dubium  
 innitantur assertæ promulgationi Concilii ibidem  
 secutæ, nusquam tamen appetet, iisdem Resolu-  
 tionibus præcessisse sedulam, maturamque investi-  
 gationem, num revera promulgatio Concilii Tri-  
 dentini

dentini in iis Regionibus fuerit rite expleta; adeo-  
ut prudenter liceat opinari, facilem fortasse Sacram  
Congregationem præstitisse fidem Missionariis, &  
Vicariis Apostolicis, qui, sufficienti rerum inda-  
gatione non præmissa, eas tantum promovebant  
quæstiones, quibus dispositio Tridentini, quate-  
nus promulgata, & usu recepta, locum præberet,  
quemadmodum benè colligitur ex verbis, quibus  
conceptum fuit dubium in præcitata Causa *Hol-  
landia Matrimoniorum*, præferens tanquam rem  
sub disputatione tunc minimè cadentem, quod  
Decretum Concilii de Solemnitatibus in Matri-  
monii contractu servandis fuisset in illis Provinciis  
nedum publicatum, sed etiam receptum.

11. Quin verò haud inconsultò explicitum cen-  
seri debet in memorato Dubio discusso pro Causa  
*Hollandia Matrimoniorum*, quòd sæpedictum Tri-  
dentini Decretum fuisset in iis Regionibus non  
solum promulgatum, verùm etiam receptum: quia,  
si S. Congregationi sola qualiscumque publicatio  
fuisset exposita, ita ut Eminentissimi Patres suspi-  
cari potuissent, Decretum illud nunquam ibi fuisse  
usu receptum, difficilius fortasse emanasset Rescrip-  
tum declarans, Matrimonia Catholicorum cum  
Heterodoxis contracta coram Magistratu hæretico  
non valere; cum plures numerentur Doctores  
opinantes, præmissam Tridentini Legem, ubi ea  
recepta non fuit, minimè obligare taltem ad effe-  
ctum, ut irrita dici debeant Matrimonia, quæ  
sine forma per illam præscripta fuerint celebrata, ut  
in specie præter alios tuentur *Gutierrez de Matrim.*  
pag. 61. num. 12. in fin., *Sanchez lib. 3. disput.*  
18. num. 1., *Castro Palao de Sponsal. disput. 2.*

punct. 13. §. 8. num. 3., Piring. in jus Canon. lib. 4.  
 & Clandestin. Desponsat. num. 9., Schabog. num. 8.  
 Konig. num. 27. Wiesner. num. 23. Schmalzgrueber.  
 §. 2. num. 97., & Zoef. de Clandest desponsat. num.  
 21., ubi hæc habet: *Quamvis Ecclesia, ejusque  
 Caput Romanus Pontifex immediate à Deo suam ha-  
 beat authoritatem, ut possit irritos reddere contra-  
 etus clandestinos independenter ab acceptatione Po-  
 puli; judicavit tamen expedire, non ante eos irri-  
 tare, quam per subordinatas Ecclesiarum Potesta-  
 tes in suis Provinciis esset acceptata irritatio. Posset  
 enim ex eare gravius malum oriri. Itaque, ante-  
 quam acceptetur irritatio, licet non sine peccato quis  
 refragetur, clandestina Matrimonia sunt valida;*  
 & brevius eamdem Sententiam tradit Gobat. tract.  
 9. cas. 18. num. 456. ibi = *Attamen non sufficit pro-  
 mulgatio, sed requiritur acceptatio = Marchantius  
 in Tribunal. Sacram. Tom. 3. tract. 1. tit. 7. quest.  
 9. Conclus. 1. ibi = Ubi Tridentinum communis usu  
 receptum non fuit, et si forte promulgatum, ibi non  
 obligat præsentia Parochi tanquam necessaria condi-  
 tio ad valorem Matrimonii, Reiffenstuel. eod. tit.  
 num. 119. ibi = In locis, & Provinciis, ubi Concilium  
 Tridentinum promulgatum quidem, sed recep-  
 tum non est quoad dispositionem de Matrimonio Clan-  
 destino, Incole illius Loci valide contrahunt Matri-  
 monium absque præsentia Parochi, & Testium.*

12. Indeque alia successit opinio, quod, si pro-  
 babilis subsit dubitatio, num toties memoratum  
 Tridentini Decretum fuerit aliquo in loco pro-  
 mulgatum, aut si promulgatum, non constet, fuisse  
 receptum, Matrimonia ibidem absque Parochi, &  
 Testium præsentia contracta pro Validis haberi de-  
 beant.

beant; ad tradita per Navarr. de Clandest. despontat. conf. 2. num. 6., Marchantius dicto tit. 7. quæst. 10. concl. 5., Gobat. in append. 1. ad cas. 18. num. 501. litt. E. Pichler. de Clandest. despontat. n. 12., Et rescriptsit Sacra Congregatio in Antuerpien. lib. 1. Decr. pag. 74., & ubi etiam ejusmodi sententiis nolit adhæreri, illud saltem colligi posse videtur, quod nisi Sacrae Congregationi expositum fuisset, sacerdictum Tridentini Decretum fuisse in Hollandia promulgatum, atque receptum, de ipsa promulgatione morosior Sacra eadem Congregatio investigasset, an actus assertæ promulgationis juxta mentem Tridentinorum Patrum in singulis Parochiis, & juxta methodum à Sacro-Sancta Synodo præscriptam fuisset expletus.

13. Cum itaque ab editis Resolutionibus inferri nequeat, satis constitisse Sacrae Congregationi Concilii, quod Decretum Tridentini, de quo agitur, fuerit in Hollandia, aliisque Confœderatis ritè promulgatum, prudenter utique ex rationibus superius allatis de ipsius sufficienti publicatione videtur dubitari posse; donec autem dubium eliminetur, ac rei veritas elucescat, non debet ab ea recedi sententia, quæ Matrimonia sine Parocho inibi validè celebrari tuetur, cum in dubio possessionis legis standum sit pro libertate quemadmodum de omni lege tenent Salas par. 2. tract. disput. unic. sect. 18. num 189. Azorius par. 1. instit. lib. 2. cap. 19. quæst. 12. Tamburin. in Decal. lib. 1. cap. 3. verb. leges. & præcepta n. 1., & interminis de hoc Tridentini Decreto afferunt. Navarr. de clandest. despontat. cons. 2. n. 1. prime edit., Marchant. cit. tit. 7. quæst. 10. concl. 3. Gobat. in ap-

pendic. I. ad sapientiam citatum casum 18. n. 501. lit.  
E. Pichler. tit. de clandest. desponsat. num. 12., alii-  
que passim.

14. Hæc sunt, quæ circa propositam quæstio-  
nem, num Sacrosancta Tridentina Synodus, &  
præsertim ejus Decretum Sess. 24. cap. I. de refor-  
mat. Matrim. fuerit in Hollandia, cæterisque Pro-  
vinciis Confœderatis jamdudum jussu Catholici  
Regis Philippi II. sufficienter promulgatum, vi-  
dentur expendi posse. At ubi de sufficienti, &  
legitima promulgatione sub iis memorati Regis  
temporibus secuta certum nequeat proferri judi-  
cium, adhuc supereft examinandum, an saltem  
quoad Catholicos successu temporis idem Decre-  
tum ita in illis Regionibus publicatum dici queat,  
ut Matrimonia, quæ ab ipsis, ejus formâ non ser-  
vata, contrahuntur, irrita censenda sint.

15. Sanè Fidelium cætus post bella, & seditio-  
nes, quæ in Hollandiam, cæterasque confœdera-  
tas Provincias novum Gubernii genus demum in-  
vexere, paulatim cæpit una cum Episcopis, Vic-  
ariis, & Missionariis Apostolicis ibidem restitui, &  
pacifice adeo conquiescere, ut verosimillimum ali-  
quibus reddatur, eosdem Episcopos, & Vicarios,  
seu Missionarios Apostolicos Catholicis illiç de-  
gentibus præfatum Tridentini Decretum ritè de-  
nunciasse, plurimùmque ejus observantiam ursisse,  
uti præceteris ad rem nostram ratiocinatur *Mar-*  
*chantius in Tribunal. Sacram. tract. I. tit. 7. quæst.*  
*9. conclus. 4. ibi - Restituto tantisper cætu Fidelium*  
*in Hollandia, Episcopis, & Vicariis Generalibus, Pa-*  
*rochis, & aliis Ministris Catholicis restitutis per*  
*Hollandiam maxime verisimiliter ab iis, qui Romana*  
*Catholica*

Catholica Ecclesiae adhaerent, Concilium Tridentinum, & ejus Leges, & specialiter de praesentia Parochi in Matrimonii usu communi receptae sunt, adeoque in locis, ubi de communi usu constat, lex de Parochi praesentia in Matrimonii jam obtinuit, nec absque validitate Matrimonii (ubi nullum esset periculum, aut justum impedimentum) omitti potest. Ratio est, quia, etsi in Territorio quoad politiam civilem Concilium Tridentinum possit supponi non receputum, quia tamen catus Fidelium in Politia Ecclesiastica Rempublicam quamdam facit, & in eodem Territorio Politiam Ecclesiasticam obtinet, legibus ejus usu receptis se conformare debet; suppono autem, legem de praesentia Parochi à Fidelibus velut in Parochias congregatis, ex zelo Fidei, & reverentia ad Ecclesiam Catholicam Romanam, & Tridentinum, ejusque leges, suscep tam, & Vicariorum Generalium in spiritualibus solitudinem introductam esse, adeoque regulariter, & communiter, ubi justum impedimentum non est, observari debere.

16. Et re ipsa de Vicariis Apostolicis Salboldo, Rovenio, necnon de Episcopo Castoriensi Vicario itidem Apostolico, qui, rebus postmodum in Hollandia pacatis, informando Fidelium Gregi juxta sanctiones Catholicæ Romanæ Ecclesiæ leges sedulò incubuere, testimonium perhibet Author. Bavariae sacra pag. 19., adeout mox allatum argumentum ex verisimilitudine depromptum, cui inititur Marchantius, non modici fortasse pondersis videri possit in finem concludendi, quod sacerdictum Tridentini Decretum, si non fuit in Hollandia aliisque confederatis Provinciis sub illa priora tempora sufficienter promulgatum secundum

dum iussus Catholici Regis Philippi II., fuerit saltem postea ab Episcopis, Vicariis, & Missionariis Apostolicis universo Catholicorum illuc degen-  
tium cætui denunciatum, atque indictum; adeo-  
que hæc etiam circumstantia, & temporum diffe-  
rentia præ oculis est habenda, ut ex æquo judice-  
tur, num ad evadendam ejusdem Decreti legem re-  
satis tuta sit in asserto ejus legitimæ promulgatio-  
nis defectu momentum constituere; quæ tamen  
inspectio ad Catholicos potius, qui veram religio-  
nem illic semper professi sunt, quam ad Hetero-  
doxos, qui jamdudum à fide defecerunt, videtur  
posse pertinere.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*An Matrimonia inter Hereticos celebrata in Hollandia, Zelandia, Frisia, aliisque Provinciis confederatis sine Parochi præsentia, sed coram Magistratu, sive Ministro Acatholico sint valida.*

17. **Q**uestio hæc assumenda proponitur de-  
pendenter à judicio, quod priùs sta-  
tuatur super articulo præcedenti, num  
scilicet Decretum cap. I. de Ref. Matr. censeatur  
sufficienter in memoratis Provinciis promulga-  
tum; Quatenus enim, vel ejus publicatio non cre-  
deretur ritè peracta, vel Decretum illud haberetur  
tanquam vim legis obligatoriaæ non assecutum, ut  
pote in iis Regionibus nunquam usu receptum,  
prompta, facilisque esset decisio pro validitate  
eiusmodi Matrimoniorum, quum, seposita obli-  
gatione servandi formam à Tridentino præscrip-  
tam,

ram, cæterisque cessantibus canoniceis impedimentis, citra dubium Matrimonia inter Hæreticos coram Ministro, sive Magistratu heterodoxo contracta deberent valida dijudicari.

18. At si de sufficienti promulgatione sæpedicti Decreti ad formam Tridentini usque ab initio sequuta constare reputetur, ita ut, neque de illius acceptatione, sive observantia nulla possit, debatye amplius quæstio institui, plura adhuc suspensunt ad propositi articuli definitionem dispi-cienda.

19. Et primò quidem ea præmitti debet regula generalis, quod, si in loco, ubi contingit Matrimonia celebrari, neque Parochus, neque Sacerdos ab eo deputatus, qui eisdem Matrimoniis valeat assistentiam præstare, inveniatur, vel si quis existat, Hæreticorum tamen metu latitet, sive tutus nequeat ad eum haberi accessus, rite, validèque nedum inter Hæreticos, verùm etiam inter Catholicos absque illius præsentia celebrari possunt Matrimonia, si modò, quantum cetero-quin fieri potest, adhibitiſ ſaltem duobus Testibus, forma à Tridentino præscripta servetur, quemadmodum ex Theologis tradunt communiter *Sylvius in Commentar. in Supplement. ad 3. part.*

*S. Thom. qu. 45. art. 5. quæritur 4. Platelius in Synopsicurs. Theolog. par. 5. cap. 7. §. 3. de Clandestin. Matrim. num. 1123., Marchant. in Tribunal. Sacram. Tom. 3. par. 3. Tract. 1. tit. 7. quæst. 9. Concl. 5., Stephanus Bonvii de Sacram. tract. in quæst. 1. de Matr. Clandestin. circa fin. lit. D. & E. Arsdekin Theol. tripartit. Tom. 2. par. 2. Tract. 4. cap. 8. de Matrim. num. 3., & 4. Pontas. Dictio-*

D S

mar.

nar. Theol. moral. verb. impedimentum Clandestinatis cas. 20. & ex Canonistis Zippaeus de Sponsat. & Matrim. num. 16.

20. Et consentaneè ad hanc Canonici Juris censuram consulta jam pridem Sacra hæc Congregatio de forma, sub qua Matrimonia in sæpedictis Provinciis forent celebranda, die 27. Martii 1632. in hæc verba rescripsit Episcopo Tricariensi,  
 „Ubi constat, Decretum Sacri Concilii esse pu-  
 „blicatum, vel aliquo tempore in Parochia, tan-  
 „quam Decretum S. Concilii observatum, sed Pa-  
 „rochialis Ecclesia, utpote carens proprio Parocho,  
 „& cathedralis itidem Episcopo, atque Capitulo  
 „habente facultatem alium Sacerdotem delegan-  
 „di careat, nullusque alias ibi sit, qui vices Pa-  
 „rochi, vel Episcopi suppleat, Matrimonium  
 „valere absque præsentia Parochi, servata tamen  
 „in eo, in quò potest, formâ Concilii, nempe  
 „adhibitis saltem duobus, aut tribus Testibus. Si  
 „existant quidem Parochus, vel Episcopus, sed  
 „nullo constituto Vicario, uterque metu Hæreti-  
 „corum lateat, ita ut verè ignoretur, ubinam sit,  
 „vel eodem metu à Diœcesi absit, nec ad altera-  
 „utrum sit tutius accessus, validum esse Matrimo-  
 „nium contractum absque forma Sacri Concilii  
 „Tridentini, adhibitis tamen, ut dictum est,  
 „duobus Testibus, & consonat aliud antiquius Decretum, quod referunt Philippus Gama-  
 cheus in 3. par. tract. de Matrim. cap. 28. in fin.  
 Joannes Sotellius in declarat. Sac. Congregationis ad  
 Trident. collect. in sess. 24. de Refor. matrim. cap. 1.  
 Farinac. ibidem fol. Mihi 274. & Vericell. de Apo-  
 stolic. miss. Tit. 2. de matrim. quæst. 174. Sect. 1.

21. Se-

21. Secundò adverti debet, magnam versari posse differentiam inter Matrimonia, quæ in memoratis Regionibus Hæretici contrahant inter se, & ea, quæ inter Catholicos tantum, sive inter Catholicum, & Hæreticum, vel è converso celebrentur; Plures enim Authores inferius recensendi, licet existiment, Matrimonia ibi ab Hæreticis inter se celebrata absque Parochi præsentia non esse invalida; secus tamen tenendum fore, tueruntur de Matrimoniis inter Catholicos ibidem initis, ut præceteris sustinent *Ivenin. de Sacrament. dis-*  
*sert. 10. quæst. 5. cap. 4. Merchant. in Tribunal.*  
*Sacram. tract. 1. tit. 7. q. 9. concl. 4., & Platelius*  
*in Synops. Curs. Theolog. par. 5. cap. 7. §. 5. de Clan-*  
*destin. Matrim. num. 1123.* ibi „ Petes tertio,  
„ quid dicendum sit de Hollandia, aliisque locis,  
„ in quibus Tridentinum aliquando fuit receptum,  
„ sed modò subjacent Hæreticis Tridentinum non  
„ recipientibus. An scilicet in istis Locis valeat  
„ Matrimonium Clandestinum. Respondeo non  
„ valere initum inter Catholicos illic habitantes, si  
„ possit haberi Parochus, vel ejus Substitutus sine  
„ gravi ipsius, vel Contrahentium periculo.

22. Et in terminis Matrimonii à Catholicis cum Hæretica, & è converso celebrati differunt *Rosignol. de Matrim. Tom. 1. disquisit. 1. prænot. 20.*  
*num. 1. pag. Mihi 61., & seqq. Verricell. de Apo-*  
*stolic. Mission. tit. 12. de Matrim. quæst. 172. Sect.*  
42. 13. ibi: „ Respondetur tertio dicto, quod  
„ duo Hæretici validè contrahant absque Parocco,  
„ tamen secus est, si unus Conjux sit Hæreticus,  
„ & alter Catholicus; nam ratione Catholicus cum  
„ contrahatur in loco, ubi receptum est Decre-

, tum

tum Tridenti, adhibendus est Parochus. Pro-  
 batur; nam ex Tridentino requiritur Parochus  
 Viri, vel Mulieris, ergo, quidquid sit de viro  
 Hæretico, mulier ligatur dispositione Tridenti,  
 & sic ratione Mulieris est adhibendus Pa-  
 rochus; quod pluribus exemplis ostenditur,  
 quamvis enim Paganus non sit subjectus Eccle-  
 siæ, nec ligetur constitutione Ecclesiastica, quia  
 tamen Mulier Christiana subjicitur, ideo hæc  
 sit inhabilis ad contrahendum cum Pagano, &  
 sic indirectè Paganus subjicitur Legi Ecclesiasti-  
 cæ, ergo licet Hæreticus non esset subjectus Ec-  
 clesiæ, aut non haberet Parochum, & sic non  
 teneretur observare Decretum Tridentini (quod  
 est falsissimum;) tamen quia Catholica de cetero  
 subjicitur, indirectè quoque Hæreticus cum ea  
 contrahens ligatur, ut nequeat validè contrahere  
 absque Parocho.

23. Hinc itaque progrediendo ad examen qua-  
 stionis unicè versantis circa Matrimonia inter Ha-  
 reticos celebrata iis in Locis, ubi constat, Decre-  
 tum Tridentini fuisse sufficienter promulgatum,  
 & ubi non desit copia Parochi, tutusque ad eum  
 haberi possit accessus, fateri oportet concordem  
 super ea non esse Doctorum sententiam, & gra-  
 vès in utramque partem militare rationes; si qui-  
 dem pro invaliditate Matrimoniorum, quæ illic  
 fiant absque præsentia Parochi, & duorum saltē,  
 aut trium Testium, etiamsi contrahantur coram Ma-  
 gistratu, seu Ministro Acatholico, docet hujus sen-  
 tentiæ Antesignanus P. Lessius in Actuar. ad pr. 2.  
 verb. Præscriptio, quem sequuntur Basilius Pontini  
 in appendic. de Matrim. lib. 5. cap. 7. num. 1., Bn.  
 senb.

semb. in Medull. Theol. Moral. lib. 6. tract. 6. cap. 3. dispūt. 2.; La Croix lib. 6. par. 3. num. 769.; Rosignol. de Matrim. i. prænot. 20. num. i. tēm. i. pag. 6 i. & seqq., Zippæus lib. 4. de Sponsal. & Matrim. num. 15. Boff. de Matrim. cap. i. num. 78. Bellarmin. ad cap. 1. sess. 24. de refor. Matr. Verriell. de Apostol. Miss. tit. 39. quest. 174. sect. 1. & 4. Gobat. Theol. experiment. tract. 9. cas. 18. per tot.; ubi allegat judicium à Facultate Theologica Universitatis Viennensis post maturam rei discussionem latum 18. Maii 1665. Schmier. Jurisprud. Canonico civil. Tom. 3. lib. 4. tract. 3. cap. 5. sect. 4. §. 1. num. 86. Reiffenstuel. in Jus Can. Tit. de Clandest. despousat. num. 132. & signanter num. 138. Schmalzgrueber. cod. tit. decretal. num. 115. Pignatell. Consult. 79. num. 26. tom. 5. & consult. 104. tom. 8. & doctissimè Eminentissimus Petrus tom. 4. in Commentar. ad Constit. 12. Ioannis XXII. num. 20.

24. Præcipuum verò sententiæ hujus fundatum à præfatis Authoribus allatum in eo sistit, quod Hæretici Sanctam Dei Ecclesiam per Baptismi lavacrum ingressi, quemadmodum cæteris omnibus Apostolicis Constitutionibus subjiciuntur, ex Text. in Can. Non in vobis dé consecr. dist. 4. in Can. Quod quidem 1. & ex aliis pluribus, quos cumulat Gonzal. in cap. Sicut. num. 12. de Hæretic. Ita etiam Tridentini Decreto formam in contrahendis Matrimonii servandam præscribenti obnoxii sint, eidemque sub pœna nullitatis suorum Matrimoniorum parere teneantur, ut in specie differunt Schmier. in Jus Can. lib. 4. tract. 3. cap. 5. sect. 4. §. 1. num. 86. Wiesner. in Jus Can. lib. 4. de Sponsal.

Sponsal. & Matrim. art. 9. num. 191. Verricell. de Apost. Miss. tit. 12. de Matr. quæst. 174. sect. 4. num. 9., La Croix Tom. 2. lib. 6. par. 3. de Matrim. num. 172., & Eminentissimus Petra in suis mox laudatis Commentar. ad Const. 12. Joannis XXII. num. 19. & 23.

25. E contra tamen eorumdem Matrimoniorum validitatem propugnant ex Theologis Layman. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 7., Tannerus Theol. Tom. 4. disput. 8. quæst. 3. Dub. 6. num. 122. Dicastill. de Matr. disput. 3. dub. 4. num. 24. Marchant. in Tribunal. sacr. tom. 3. par. 3. tract. 1. tit. 6. quæst. 4. Concl. 4. & tit. 7. quæst. 10. Sporer. Theol. Tom. 3. par. 4. cap. 1. sect. 1. num. 35. Arsfdekin. Theol. Tripartit. tom. 2. par. 2. tract. 4. cap. 8. §. 4., Platelius Theol. par. 5. cap. 7. §. 5. in fin., Marin. Theol. tom. 3. tract. 23. disput. 9. sect. 3. num. 44., Ivenin. de Sacr. dissert. 10. de matrim., Bonagratia in dissert. de matrim. Heretic. §. Ad primum, Henricus Mayer. in Opuscul. de Sponsal. & Matrim. num. 70., Joan. Moquitius in disput. de Nupt. Clandest. num. ult., Theophil. Raynaud. Heteroclit. spiritual. tom. 16. sect. 1. punct. 14. num. 8. & ex Canonistis Wex in Opuscul. Canon. Triden. de Sponsal. Piring. in Ius Canon. lib. 4. tit. de Clandestin. de sponsat. num. 12., Pichler. eod. loco lib. 4. tit. 1. num. 98. & tit. 3. num. 16., Wiesner ibidem tit. de sponsal. & matrim. num. 192. Konig. tit. de Clandest. despontat. num. 4., Kugler. de Matrim. quæst. 65. per tot. & Modernus Louaniensis de fur. Eccl. tom. 1. par. 2. tit. de Sponsal. num. 31., Martin. de Suvanen. de sponsal. duorum. Stalen. in dissert. Theo-Polit. de Matrim. Heret. par. 1. quæst. 4. & par. 2. cap. 4. 26. His

26. Hic autem præstat animadvertere, paucos ex mox allegatis Authoribus loqui peculiariter de Matrimoniis inter Hæreticos in Hollandia, aliisque confœderatis Provinciis contractis, sed plerosque agere de Matrimoniis in genere, aut de iis tantum, quæ in aliis Hæreticorum Regionibus, & præsertim in Germania, aut Gallia celebrantur: Præterea iidem Authores priorem sententiam, uti probabilem, admittunt, alteram verò veluti probabiliorem deprædicant; & demum illorum aliqui, post exposita utriusque opinionis fundamenta, aut à suo proferendo sensu abstinent, aut ingenuè concludunt, difficile esse, qui certi hac in re statuere, ut inter alios fatetur Konig, *in Jus Canon. lib. 4. tit. 3. de Clandest. de sponsat.* num. 4. vers. dico ibi - *Ne tamen quid dissimulem, memini,* me in proem. *Jur. Can. n. 9.* allegasse Declarationem Cardinalium ad Tridentinum dicto cap. 1. sess. 24. num. 10., in qua Sacra Congregatio expressè declaravit, *Matrimonia nulla esse, quæ Hæretici coram suo Prædicante celebrant in locis, ubi Tridentinum sit promulgatum, unde difficile est, quid certi statuere;* Quinimmò Apostolicæ Sedis definitionem necessariam esse, pridem sensit Guilelmus Estius in 4. distinct. 24. §. 9. in fin. „Huic malo, quod „ex Hæreticorum inobedientia nascitur, poterit „Ecclesia maturiori consilio, quod aliquando futurum speramus, occurrere, idque, vel explicantando Decreti sui sensum, vel novum Decre-“tum statuendo.

27. Rationum verò momenta, quibus Authores prædicti ad amplectendam libentius posteriorem sententiam Matrimoniorum validitati faventem

tem trahuntur, hæc potissima videntur esse. Primo quod in locis; ubi cum Catholicis permixti commorantur Hæretici; binæ debeant in quolibet Parochiali Districtu Paræcia considerari, non loco quidem; sed fide, Doctrina, Religione, ac moribus distinctæ, altera nempe Catholicorum; altera vero Hæreticorum, qui unam Societatem & Communitatem quoad spiritualia omnino separatam, distinctam, & diversam à Communitate Catholica constituunt, propriosque habent usus, cæmonias, & Ministros, seu Pseudo-Parochos, adeoque; cum in eadem asserta Hæreticorum Parochia Tridentini Decretum nunquam fuerit rite promulgatum, minùsque usu receptum, nequeat eorumdem Hæreticorum Cætus lege, & formâ in eo Decreto præscriptâ censeri obstrictus, tametsi in Catholicorum Parochia Decretum illud fuerit promulgatum, atque inter istos usu receptum, eo planè modo, quo dictum Decretum in una Catholicorum Parochia publicatum non ligat in alia, in qua ejus promulgatio secuta non fuerit, uti præceteris arguunt *Tannerus Theolog.* tom. 4. disput. 8. q. 3. dub. 6; n. 122., *Dicastill de Matrim.* disput. 3. dub. 4. num. 24. & *Marin. Theolog.* tom. 3. tract. 23. disput. 9. sect. 3. num. 43. ubi sic inquit „Secundò, quia in talibus locis, subi Hæretici habent suos Prædicantes, licet Parochia Hæreticorum, & Catholicorum sit phisicè eadem, moraliter sunt duæ Parochiæ fide, & moribus distinctæ, ideoque promulgatio Decreti Tridentini moraliter censetur facta in una Parochia, & non in alia, cum facta non sit à Prædicantibus Hæreticis.“

28. Secundò, quod Hæretici, restricti as accepta, nullam habeant Parochiam, proindeque tamquam vero, & proprio Parocho carentes ea non ligentur lege, quæ jubet, Matrimonia coram proprio Parocho celebrari, juxta ea, quæ oportatur *Philippus Gamacheus in 2. part. tract. de Matrim. cap. 28. in fin.*, ubi ait „Hæreticos non habere ullam Parochiam, quia Hæretici moraliter loquendo, non reputantur Parochiani nostrorum Ecclesiarum; licet in eorum confinio habitent, eo quia nullo modo ad eas accedunt, & palam confitentur; nolle unquam accedere, nec ad eas accedere aliquando coguntur.“

26. Tertiò, quia vetitum cum sit Parocho assistere Matrimonio, sive inter Hæreticos, sive inter Catholicum, & Hæreticam contrahendendo, uti rescripsit Sacra hæc Congregatio die 22. Junii 1624. lib. 12: Decr. pag. 183. in hæc verba „Sive alter tantum ex Conjugibus sit hæreticus, sive ambo; nullatenus deberet Parochium Hæreticorum Matrimoniis assistere, „ & in Causa; cui titulus „ Dubia Jurisdictionis Cappellanorum exercitus, „ cum disceptatum fuerit „ VIII. Annus Cappellani Catholicæ assistere possint Matrimonios Acatholicon cum Acatholicis, & respectivè Catholicis etiam intra fines Italiæ, „ die 6. Martii 1694. prædiuit Rescriptum; - Negative, ut in lib. 44. Decr. pag. 80., impossibile propterea sit Hæreticis uti præsentia Parochii in suis Matrimoniis, adeoque nihil planè discriminis intercedat ab eo casu, quo vel Parochius omnino desit, vel tutus ad eum haberi nequeat accessus; inde pari prorsus ratione valere debeat Matrimonium

inter Hæreticos celebratum absque præsentia Parochi qui nequit accersiri, vel accersitus non assisteret; cum in iis, quæ juris humani sunt, cesse re censeatur obligatio servandi legem, quæ sive phisicè, sive moraliter servari non potest, ut cum aliis observat Fagnan. in cap. si Clericus. n. 58. de For. competen.

30. Quartò, quod Hæretici, si doctiores excipias, sæpedictum Decretum, quo Clandestini Conjugia irritantur, prorsus ignorent, unde teneri non debeant pœnâ legis, quam nesciunt, se violari.

31. Quintò, quod Hæreticorum Ministelli communiter veri, ac legitimi Parochi reputentur; Matrimoniis verò ineundis nedum verus, & proprius Parochus, sed etiam is, qui ex communì Populi errore pro vero, ac legitimo Parocho, licet re ipsa talis non sit, validè assistit, juxta receptissimam sententiam, quam cum aliis sequuntur Pichler. in Jus Canon. lib. 40. tit. 1. n. 98. Et tit. 3. n. 16., pluresque ex Doctoribus supra relatis.

32. Sextò, quod admodum verisimile sit, Tridentinos Patres ex quadam Epicheja noluisse Hæreticorum Matrimonia sub Decreto sæpedicto comprehendere; quippe qui optimè scirent, plura graviissima pericula, & incommoda ipsis immovere, si, posthabito Ministro Heterodoxo, vel lent sua Connubia coram Catholico Parocho celebrare; adeoque, licet forma ad alicujus actus validitatem præscripta nequeat, quacumque etiam urgente necessitate, immò etiam concurrente impossibilitate eam servandi, absque ejusdem actus nulli-

hūllitate omitti; uti contingit in Matrimonio; quod, si fortasse in articulo mortis; sive ad legitimandam prolem; sive ad avertendum quodcumque aliud gravissimum incommodum absque præsentia Parochi celebretur; irritum esset; tametsi in ea temporis angustia impossibile fuisset; Parochium adhiberi; secundum ea; quæ fusè tradunt Suarez. de legibus lib. 5. cap. 23. per tot.; Sanchez de Matrim. lib. 3. disput. 17. n. 7.; Guttierrez eodem tract. cap. 61. n. 4.; Pontius lib. 5. cap. 6. num. 34; Perez disput. 39. sect. 4. n. 4.; Navarr. cons. 45. sub. tit. de sponsal. parte edit. Barbos. de Offic. & potest Episc. alleg. 32. num. 147.; attamen ubi impossibilitas universalis; & perpetua foret; totamque Rempublicam; Regionem; aut Communitatem aliquam afficeret; omnis æqui; bonique ratio postulet; ut talis forma; quoad illud Personarum genus; cui difficultum; ac fermè impossibile redditur; eam servare; non censeatur inducta; quemadmodum cum aliis expendit Marchanc. in Tribun. Sacram. par. 3; tit. 1. quest. 8. concl. 3.

33. Septimò; quod à centum; & ultra annis; post promulgatum scilicet; usque ab initio fortae etiam receptum Tridentini Decrētum; inoleverat in Hollandia; aliisque Provinciis confœderatis universalis; & pacifica consuetudo celebrandi inter Hæreticos Matrimonia sine Parochi præsentia coram Magistratu; aut Ministro Acatholico; centenaria autem ejusmodi consuetudo ut pote vim habens novam induendi Legem facilius potuerit abrogare illam à Tridentino indictam; uti cum aliis arguit Wiestner in Ius Can. lib. 4. de Sponsal. & Matrim. art. 9. num. 191. E 2 34.

34. Octavò, quod luctuosa incommoda, quæ ex clandestinis connubiis solent oriri, quæque Sacrosancta Tridentina Synodus voluit avertere, sufficienter ex nuptiis publicè coram Magistratu, vel Ministro Acatholico ineundis evitentur, adeoque satis inde factum videatur menti Tridentinorum Patrum, ut supervacaneum sit ulterius sæpedictæ sanctionis implementum postulare, uti inter alios ponderant *Stalenus in dissert. Theolog. Politic. part. 2. cap. 4.* & modernus Lovaniensis *de Jure Ecclesiast. Tom. 1. par. 2. tit. de Sponsal. 4. n. 31. ad fin.*

35. Nonò, quod Apostolica Sedes à sæpedicta Tridentina Lege Hæreticos tacitè dispensasse censatur, quemadmodum in specie differunt *Sporer. Theol. moral. Tom. 3. par. 4. cap. 1. seff. 1. num. 35.* ubi sic ait „Putandum non est, Decretum se ad „Matrimonia facta ibi sine Parocho extendere, „adeoque Matrimonia Hæreticorum ibi sine Pa- „rocho Catholico, sive coram Ministro Hæretico „celebrata, esse valida, quippe sciente, nonque „contradicente, eoque ipso tacitè consentiente „Summo Pontifice, ne multa ibi incommoda „orientur, quod Filii eorum legitimè nati non „essent, ideoque non capaces Officiorum, vel „Sacrorum Ordinum, - *Marin. Theol. tom. 3.* „*tract. 23. disput. 9. sect. 3. num. 44.* ibi - Hæc „sententiâ valde verisimilis est, quia non est cre- „dendum, esse voluntatem Pontificiam, ut De- „cretum Tridentini se extendat ad ea Matrimonia, „unde multa incommoda orientur, si eorum Filii „non sint legitimi, non capaces Officiorum, Dig- „nitatum, & Sacrorum Ordinum, præcipue „cum

„cum Papa sciens non contradicat, nec declaret  
 „irrita ejusmodi Matrimonia, - Piring. in. Ius Can.  
 „lib. 4. de Clandest. de sponsat. §. 2. n. 12 circa fin.  
 „ibi - In Locis, ubi Concilium Tridentinum est  
 „promulgatum, & Hæretici cum Catholicis per-  
 „mixti vivunt, valida erunt Matrimonia sine vero  
 „Parocho celebrata propter tacitam dispensatio-  
 „nem Summi Pontificis, qui sciens ejusmodi Ma-  
 „trimonia contrahi, non contradicit, nec irrita  
 „declarat, ideoque non est existimandum, velle  
 „Pontificem, ut Decretum Concilii Tridentini  
 „ad ejusmodi Matrimonia Clandestina se extendat,  
 „ne multa gravia incommoda inde oriatur, - &  
 „Konig. in Ius Can. lib. 4. tit. 3. de Clandest. de-  
 „sponsat. num. 4. vers. Dico secundo ibi - Primaria  
 „ratio est, quia præsumi non debet de pia Matre  
 „Ecclesia, quod ~~X~~unquam mens ejus fuerit ob-  
 „defectum legitimi Parochi nullare ejusmodi  
 „Matrimonia propter maxima mala, ac pericula  
 „inde proventura; Si enim Acatholici viderent  
 „suos Liberos natos ex talibus Matrimoniiis à no-  
 „bis haberi pro illegitimis, quantæ hinc calami-  
 „tates, atque passim Catholicorum persecutio-  
 „nes? Quot Bella, & Seditiones moverentur?  
 „Accedente præterea in argumentum præsumptæ  
 „dispensationis, quod nedum Summus Pontifex  
 „Hæretorum Matrimonia absque Parochi præ-  
 „sentia in iis regionibus passim contracta hactenus  
 „invalida non declaravit, verum etiam neque Ma-  
 „trimonia prædicta post ipsorum conversionem  
 „consueverunt coram Parocho, & Testibus re-  
 „staurari, minusque Conjugi ad Fidem converso  
 „permisum fuit, priori relicta Uxore, ad secun-

„da vota transire, sed eadem Matrimonia prorsus valida fuere reputata, ac usque dum reputantur, ut Filii inde procreati tamquam legitimi absque ulla Apostolica dispensatione ad Ordines solent promoveri, quemadmodum, veluti Testes ~~peculati~~ referunt, „Pichler. in suis Canon. lib. 4. de Clandestin. de sponsat. nume 16., Wiestner. tit. de Sponsal. num. 197., Schmalzgrueber eodem loco num. 379., Stalenus Dissert. de Matrim. Hæretic., & Suvanen. in L. ssert. de Sponsal. duorum.

36. Ad hæc plurimum momenū constituitur in eo, quod Joannes Episcopus Castoriensis olim per Provincias confœderatas Vicarius Apostolicus, cum super hac ipsa quæstione Congregationem S. Officii consuluisset, hoc accepto, uti afferitur, Responso, „non convenire, ut ea quæstio à S. Officio defineretur, verum statueret ipse, quod cederet animarum sibi creditarum saluti maximè expedire, „ratus præstare magis, ut ea, de quibus dubitari contigerat, Hæreticorum Matrimonia valida declararentur, literis ad Episcopum Gandensem 14. Augusti 1685., & ad Antonium Hoessac Cathedralis Antverpiensis Canonicum 14. Decembris ejusdem anni datis, Matrimonia prædicta valida esse, ac pro validis habenda fore, edixerit: qua de re apud Sacram hanc Congregationem insimulatus, quidquid à se actum fuerat, enunciato Supremi Tribunalis Sacrae Inquisitionis Responso vindicaverit, ita ut, auditis etiam rationibus, quibus se motum afferuit Episcopus Castoriensis, nihil amplius contra Doctrinam, & praxim ab eo inductam fuerit subinde decretum, uti affirmat Stalen. in Dissert. Theolog. politic. de Matrim.

*Matrim. Hæret. par. 2. cap. 4., Suvanen. in citot.  
Dissert. de Sponsata Duorum, modernus Lovanien-  
sis de fur. Eccl. univers. par. 2. tit. 12. cap. 5. n. 33.  
La Croix lib. 6. quest. 3. n. 798., & Arsdokin. in  
Theolog. Tripartit. Tom. 2. Par. 2. Tract. 4. cap.  
8. §. 4.*

37. Decimò tandem rationibus hactenus allatis addi posse videtur, id saltem evinci, quod ex omnibus præmissis, atque ex tot Doctorum autoritate probabile, ut minimum sit, controversa Hæretico- rum Matrimonia sæpedicto Tridentino Decreto non subjaceret: Ubi autem probabile est, impedimentum aliquod Matrimoniorum validitatem inficiens nequaquam in jure subsistere, tunc eadem Matrimonia censenda sint validè celebrari ob ipsius Matrimonii favorem, ejus namque validitas juxta cap. fin. de Sentent., & re judic. quoad fieri potest, sustineri debet, & in specie ad rem tradit P. Viva in Theses damnatas par. 2. proposit. 1. num. 29. ubi ait, quod rationabiliter Ecclesia vult favere Matrimonio, reddendo illud validum, quoties juxta probabiles opiniones contrahitur, ostendens, id procedere, non solum in Matrimoniis contractis, verum etiam in contrahendis, & consonare videtur Sanchez. lib. 8. de Matrim. Disput. 6. num. 18., Diana par. 4. tract. 4. resol. 4., Cardenas in sua Crisi Theolog. Proposit. 1. Dissert. 2. cap. 8. art. 3. & seqq., Pichler. in fus Canon. lib. 4. tit. 1. num. 100.

38. Istæ igitur rationes tot Doctorum autoritate firmatæ, nisi seorsim, singulæ conjunctim saltem, uti fas est, acceptæ videntur plurimum urge- re pro validitate Matrimoniorum, de quibus agi- tur: At ne quidquam ex iis, quæ in re tanti mo-

menti merentur expendi, prætereatur, operæ pretium erit in unamquamque earum quædam animadvertenda subiicere.

39. Ad primam scilicet de duplice Paræcia in quolibet Parochiali Districtu consideranda, Catholicorum nempe una, & altera Hæreticorum, ponderandum est, num ratio hæc suffragari possit Hæreticis Hollandiæ, aliarumque Provinciarum confederatarum, ubi judicetur, Tridentini Decretum fuisse in illis Regionibus jussu Philippi II. sufficienter promulgatum circa annos 1565. & 1566.; tunc enim Hæretici, neque peculiarem Pseudo-Parochiam potuerunt adhuc sibi constituere, neque postmodum id iis licuit, ne afferatur hoc pacto Hæreticos posse ab Ecclesiasticis Legibus, quibus directè subjiciuntur, se se indirectè subducere, ac liberare contrà ea Juris principia, quæ ad rem expendunt Zippelius in *Jus Can.* lib. 4. tit. de Sponsal., & Matrim. num. 15., Schmier jurisprud. Canonico civil. Tom. 3. lib. 4. tract. 3. cap. 5. Sect. 4. §. 1. num. 86., La Croix Tom. 2. lib. 6. par. 13. num. 869. & seqq., Eminentissimus Petrus Tom. 4. in suis eruditissimis Commentariis ad Constit. 12. Iohannis XXII. num. 19. & 23.

40. Ad secundam, quod Hæretici non ligentur Tridentini Decreto, quia re ipsa nullum habeant proprium Parochium, expendenda sunt, quæ cum Basilio Pont. de Matrim. lib. 5. cap. 7. num. 1., & in appendic. cap. 9. §. 1. num. 1. responderet Verri-cell. de Apostolic. Mission. tit. 12. de Matrim. quest. 174. sect. 4. num. 9. ibi, Hæreticus subjectus est „Jurisdictioni Ecclesiæ, nequit enim ab ejus jurisdictione contumacialiter se eximere, cui jure Di-

22 ving

„vino subjicitur per Baptismum, ergo Papæ sub-  
 „jectus est, cæterisque Superioribus Papæ Subor-  
 „dinatis, ut Episcopis ergo, & Parochis, nam non  
 „minus Parochus, quām Episcopus est ejus Pastor,  
 „quamvis ille immediatus, & subordinatus, ergo,  
 „sicuti nequit contumacialiter se eximere à Papæ,  
 „aut Episcopi jurisdictione, ita nec Parochi, ergo  
 „proprium Parochum, & Parochiam habet; neque  
 „obstat argumentum Gamachei, quod scilicet Hæ-  
 „reticus nunquam adeat Parochiam, & profiteatur,  
 „se nolle eam adire, nam esse sub tali Parocco non  
 „provenit, quia Parochiale Ecclesiam quis adeat,  
 „sed quia habitat in tali loco; neque contumacia  
 „Hæretici potest eum à Parochi jurisdictione exi-  
 „mere, alioquin ex delicto commodum reportaret;  
 „nec etiam obstat, Hæreticos non compelli ad  
 „Parochiam adeundam, vel quia non possunt com-  
 „pelliri, vel ad majora incommoda vitanda non com-  
 „pelluntur; hoc autem non indicat consensum ap-  
 „probativum, sed permissivum Superiorum, tum  
 „quia frustra compellentur adire Parochiam, non  
 „abjurata Hæresi, quare patet, non excusari. ,,

41. Ad tertiam de impossibilitate reperiendi  
 Parochum, qui Matrimoniis Hæreticorum assistat  
 ob Decreta id Parochis districte vetantia, opponi  
 videtur Regula Juris, quod tunc solum cessat obli-  
 gatio servandi aliquam Legem, quando impedimentum,  
 ne illa servetur, aliunde provenit, quām  
 ex culpa ejus, qui legis vinculo obstringitur, secus  
 enim culpa ipsa commodum Delinquenti adferret.

42. Ad quartam de ignorantia Tridentini De-  
 creti apud Hæreticos hodiernos fermè generaliter  
 vigente, proindeque de ipsorum exemptione tam

à lege, quām à pœna legis, quam communiter ignorant, perpendendum est, num assertæ ignorantis effectus eousque protendi possit, ut habilitas, quam Tridentina Synodus omnibus semel Ecclesiam ingressis ad Matrimonium sine præsentia Parochi ineundum ademit, ab Hæreticis obtineri censenda sit, cum de cætero lex omnis, quæ irritans dicitur, etiam ignorantes afficiat, ut tradit Suarez de legibus lib. 5. cap. 22. num. 4., ac signanter de Tridentino Decreto docent Sanchez de Matrim. lib. 3. cap. 17. num. 10., Basilius Pont. lib. 5. cap. 6. num. 18., Perez disput. 39. sct. 5., Guttierrez de Matrim. cap. 61. num. 11., Castropal. par. 4. tract. 28. de Sponsal. disput. 2. punct. 13. §. 8. n. 7., ubi rationem assignant his verbis „Quia irritatio „actus non in pœnam contrahentium clandestinè „imponitur, sed in odium talis contractus, ut in „convenientia inde orta vitentur, ac proinde sive „ignoranter, sive scienter Matrimonium Clanc- „destinum contrahatur, nullius est valoris, „la Croix tom. 2 lib. 6. par. 3. de Matrim. num. 172., ubi ita respondet „Ad quartum admitto, quod „invincibilis ignorantia possit excusare à peccato, „sed illa non potest eos facere habiles ad contra- „hendum, quos Ecclesia reddidit inhabiles, uti „patet in consanguineis, qui, si contrahant etiam „ignorantes impedimentum, invalidè contra- „hant, „

43. Ad quintam, quod Hæreticorum Ministelli utpote pro veris, & legitimis Parochis communiter ab illis habitu, eorumdem Matrimonii validè assistant, ex regula de Parocco putativo passim recepta, occurri facile potest sententiæ à pluribus gravis-

gravissimis Doctoribus acerrimè propugnata, quod nisi cum errore communi concurrat quoque titulus coloratus, quo certè Hæreticorum Ministelli prorsus destituti sunt, solus ille communis error ad validitatem actuum, qui celebrantur, sive quibus assistitur à Pseudo - Parocho, non sufficiat, quemadmodum adhærens opinioni quinquaginta circiter Doctorum, quos recenset, mordicus tuetur *Sanchez de Matrim. lib. 3. disput. 22. num. 29.*; Præterquam quod, ubi etiam titulus non reputaretur necessarius, sed error communis sufficere posset, juxta sententiam *Pont. lib. 5. de Matrim. cap. 20. n. 2. Dian. parte 3. tract. 4. resolut. 142.*, cum iste debeat in hunc finem esse probabilis, non autem, ut dici solet, crassus, atque supinus, difficultas adhuc superesset, num talis censi<sup>r</sup> queat error ille Hæreticorum ex obdurate ipsorum pertinacia derivatus.

44. Ad sextam de verisimili Tridentinorum Patrum voluntate non comprehendendi ex quadam epicheja sub ea lege connubia Hæreticorum, quippe qui secus gravissimis exponerentur periculis, si, posthabito Ministro Hæretico, vellent Matrimonia coram Catholico Parocho celebrare, vindetur objici posse, neminem sub obtentu verisimilis æquitaris, aut Epichejæ à Generali Decreto præsentiam Parochi pro forma Matrimonii explicitè demandante immunem cendum fore secundum ea, quæ per Text. in cap. Cum dilecti de rescript. in terminis notat præ cæteris *Castro Palao part. 4. punct. 13. §. 8. n. 9.*, eoque minus Hæreticos, qui, dum Ecclesiæ leges contemnunt, si mala deinde ipsis, & gravia, ut dici solet, per acci-

accidens obveniunt incommoda, non debent tamen ab iisdem legibus eximi, uti cum aliis rationatur *la Croix tom. 2. lib. 6. par. 3. de Matrim. num. 772.*, accedente præterea, non facile quemquam sibi imperare posse, ut credat, noluisse Tridentinos Patres memoratam legem protendi ad Hæreticos Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ, aliarumque Provinciarum confederatarum, ut enunciata mala evitarentur, quia, licet communiter receptum sit, Hæreticos Ecclesiæ legibus post infelicem eorum lapsum non teneri, quipps quod nolit Ecclesia potestatem, & Jurisdictionem, qua cæteroquin pollet, in Filios illos perduelles exercere, ad notata per *Marchant. in Tribunal. Sacram. tom. 3. par. 3. tract. 1. tit. 6. quæst. 4. conclus. 4.*: Hæc tamen ratio videtur suffragari tantum Hæreticis Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Sveciæ, Daniæ, aliarumque Provinciarum, quæ ante annum 1545., quo Tridentina Synodus haberi cœpit, hæresi jam infectæ reperiebantur, juxta tradita per *Wex. Ariadn. par. 5. tract. 2. §. 1. num. 25. Schmaltzgrueber in Jus Canon. de Clandest. de spons. §. 2. num. 98.*, *Schmier eodem loco lib. 4. tract. 3. cap. 5. sect. 4. §. 1. num 86. & seqq.*; Secus verò quoad præfatos Hæreticos Hollandiæ, aliorumque Statuum Confederatorum, qui ab Hispano Imperio, & à Catholica Religione defecere post jam absolutam Tridentinam Synodum, juxta ea, quæ ex historicis Scriptoribus superioriis sunt adnotata.

45. Ad septimam de consuetudine à centum, & ultrà annis inducta celebrandi Matrimonia sine Parochi præsentia coram Magistratu, aut Mini-

stro  
der  
der  
hæ  
Jur  
in I  
lici  
reli  
in I  
duc  
stue  
itid  
que  
cor  
tur  
acc  
sax  
sæp  
gur  
Wu  
art  
sen  
  
que  
plu  
stat  
reti  
alio  
mat  
esse  
nio  
Cat  
sed  
  
stro

stro Hæretico, cuius vigore contenditur lex Tridentini abrogata, perpendendum est, num eadem consuetudo, veluti proveniens ex infecta hæresis radice, ex insano Potestatis clavium, & Jurisdictionis Ecclesiasticae contemptu, ex odio in Ecclesiam, & ex pertinaci errore, quo Acatholici autoritatem Legislatoris à Christo Domino reliquit suu in Terris Vicario negant, ullius hac in re momenti valeat judicari, ut expendunt adducti per Less. loc. supracit. cas. 1. num. 3. & Reiffenstuell. in Jus Canonic. lib. 1. de consuet. num. 145. itidemque ponderandum, an ea censeri debeat quocumque Summi Pontificis alioquin necessario consensu destituta, cum præsumi non posse videatur, Supremum Ecclesiæ caput suum consensum accommodasse consuetudini, qua Hæretici Ecclesiæ rebelles propria freti pertinacia tentarunt se à sæpedicta Tridentini I. ege subducere, tui hoc arguento passim utuntur Doctores adducti per Wiestner in Jus Can. lib. 4. de Sponsal. & Matrim. artic. 9. num. 191., & alii plures priorem tuentes sententiam.

46. Ad octavam, quod sati obtineatur finis, quem Tridentini Patres intenderunt atcendi mala plurima ex clandestinis connubiis provenientia, statim ac ista coram Magistratu, sive Ministro hæretico celebrantur, hisce verbis respondet præter alios La Croix Theolog. moral. lib. 6. part. 3. de matrim. num. 772. Ad 3. dico, mentem Ecclesiæ esse non tantum, ut publicè sibi constet de Matrimonio legitime contracto, alioquin etiam in Partibus Catholicis sufficeret contrahere coram Magistratu, sed ut sibi de hoc constet per suum qualificatum Ministrum?

nistrum; Parochus enim non adhibetur mere tamquam Testis, sed cum Matrimonium sit Sacramentum, Ecclesia voluit, ut ipsi assisteret talis Ministeris solemnitatis, quem voluit esse proprium Parochum.

47. Ad nonam de tacita dispensatione, quæ præsumi debeat ab Apostolica Sede indulta; ne huic Tridentinæ Sanctioni modo amplius obnoxii censeantur Hæretici, ponderandum imprimis est, huic præsumptæ dispensationi plurimum officere iteratas Resolutiones, (quarum aliqua descriptæ fuerunt in Folio diei 17. Augusti 1737. & aliæ etiam recentiores ad calcem præsentium Adnotationum apponentur) ex quibus conjicitur, tam Sacram hanc Congregationem, quam alteram S. Officii pluries censuisse, controversa Hæretorum Matrimonia, veluti sine Parochi præfentia contracta, tamquam invalida habenda esse, quemadmodum cum aliis advertunt adducti per Wiestner in *Jus Can. lib. 4. de Sponsal. & Matrim. art. 9. num. 191.*, & Konig. in *Jus Can. eod. lib. 4. tit. 3. de Clandest. de sponsat. num. 4. vers. Dico Secundo*, -- prætereaque merentur expendi, quæ in ejusdem tacitæ dispensationis exclusionem proponit prælaudatus, *La Croix loco mox allegato*; Ecclesia aliquando contradixit, ut constat ex dictis, neque prudenter præsumi potest quod Papa nunc velit indulgere, & permittere respici Leges illas ab illis Rebellibus, qui ei negant postulatam ad talia impedimenta inducenda, vel tollenda. Quod autem saepius non contradixerint Pontifices, inde est, quia sciebant, ni profuturum apud Contumaces, & satis erat semper saepius

, s̄æpiusque protestatum esse; nam, ut recte notat  
,, cum communi Suarez, ex hoc solo, quod Superior  
,, etiam sciens aliqua permittat, inde non posse uni-  
,, versaliter colligi ejus consensum, quia multa per  
,, patientiam tolerantur, quæ non approbantur, ut  
,, dicitur cap. Iamdudum de Præben. & huic faci-  
,, unt verba, quæ Tridentinum sess. 24. cap. 5. de  
,, Refor. Matr. ex jure profert; non enim dignus  
,, est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur,  
,, cuius salubria monita temerè contempsit. Quod  
,, si illi ipsi Hæretici scirent, Papam sic benignè se-  
,, cum agere, irridenter eum, uti solent, ergo cen-  
,, seri debet, quod Papa pergit manere invitus. Pro-  
,, batur tertio, quia in facultatibus extraordinariis,  
,, quas singulis quinquenniis Sacra Sedes concedit  
,, Nunciis Apostolicis, & Episcopis Germaniæ, hæc  
,, est una dispensandi in tertio, & quarto simplici, &  
,, mixto tantum cum Pauperibus contrahendis, in  
,, contractis vero cum Hæreticis conversis etiam in  
,, secundo simplici, & mixto, dummodo nullo  
,, modo attingat primum gradum, & in his casibus  
,, prolem suscepitam declarandi legitimam, ex qua  
,, facultate colligitur, Papam etiam nunc non agnos-  
,, cere illa Matrimonia Hæreticorum cum impedi-  
,, mento Consanguinitatis, aut Affinitatis contrafacta  
,, esse valida. Quod autem addit, Filios eorum cen-  
,, seri legitimos, verum est, saltē pro Foro externo,  
,, & civiliter secundum dicta lib. 4. num. 754.  
,, Hinc etiam quandoque dissimulatur ab Epis-  
,, copo, quandoque autem non; ideo pro securitate  
,, à plerisque petitur dispensatio.,, Advertenda ta-  
men sunt verba, quæ postmodum subjicit iste Au-  
thor, quæque illum non satis firmum in impug-  
nanda

nanda validitate ejusmodi Matrimoniorum ostendunt; Inquit enim -- NEGARI AUTEM DEBET, QUOD TALES CONJUGES CONVERSIS POSSENT AB INVICEM DIVELLI QUIA PROBABLE EST, EJUSMODI MATRIMONIA VALERE, ET ESSE VERA SACRAMENTA.

48. Decimæ tandem rationi, quæ initititur dispositioni Juris Matrimoniorum validitati faventis libenter admittendæ, ubi ex copia, & gravitate Doctorum satis probabile reddatur oppositum aliquod impedimentum non subsistere, duplex videtur objici posse animadversio: prima scilicet, num probabilis verè dici queat sententia dictorum Matrimoniorum validitatem propugnans, cui Resolutiones Sacrarum Congregationum Urbis adversantur; altera verò, quod, licet Matrimonium, postquam fuit contractum, debeat validum reputari, si dubium insurgat, illud fuisse cum impedimento dirimente initum, sed probabile sit, impedimentum illud nequaquam subsistere, ut ad rem notat saepius dictus *La Croix Theol. moral. lib. 6. part. de Matrim. num. 167.* ibi -- „*Si Matrimonium jam sit ita contractum, poterunt Conjuges etiam conversispermanere in usu illius, quamvis consensum non renoverent coram Parocho Catholico, quia probabile est, fuisse validum, & sequendo hanc opinionem probabilem, haud Sacramentum exponitur periculo nullitatis, vel irreverentiae;* at si agatur de Matrimonio ineundo, non eadem videtur recipi posse sententia, ut in terminis, quod nequeant Hæretici juxta præmissam Staleni, aliorumque opinionem Matrimonia contrahere, tuetur idem *la Croix loc. cit. num. 169.* sic Inquiens -- „*Probabilius est, non esse licitum*

CORP

„contrahere, suadere, aut cooperari Matrimonio  
 „ineundo secundum relatam Staleni, & aliorum  
 „sententiam, quia secundum damnationem primae  
 „propositionis ab Innocentio XI. factam illicitum  
 „est in administratione Sacramenti sequi senten-  
 „tiam probabilem, relicta tutoire, quando agitur  
 „de valore, nisi aliunde accedit certitudo, uti  
 „dictum est lib. 6. par. 2. num. 104. ad n. 111.  
 „atqui sententia Staleni est tantum probabilis, &  
 „opposita est tutior, agiturque de Sacramenti va-  
 „lore, pro quo non accedit aliunde certitudo, cum  
 „sententia illa non sit communiter recepta, nec  
 „conformis stylo Curiæ Romanæ, quæ, si interro-  
 „getur, resolvit talia Matrimonia esse invalidè con-  
 „tracta ; ergo quandò Matrimonium est adhuc  
 „contrahendum, illicitum est sequi sententiam  
 „illam, relicta tutoire, - Hactenus memoratus  
 Author. Et hæc sunt, quæ ad librandum, æstimati-  
 dumque pondus rationum superiùs allatarum vi-  
 dentur considerari posse.

49. Ad hæc verò, quia inter Authores propug-  
 nantes validitatem Matrimoniorum, quæ sine præ-  
 sentia Parochi ab Hæreticis contrahuntur, ubi De-  
 cretum Tridentinæ Synodi est promulgatum, rem  
 satis diffusè pertractat *Theophil. Raynaudus in Hæ-  
 terocl. spirit. tom. 16. sect. 1. punc. 14. n. 8.*, atque  
 ex ejus argumentis facilè in memoriam redire que-  
 unt graviora momenta in utramque partem recen-  
 sita, licet potissimum agere videatur de Matrimo-  
 niis in Gallia contractis, non abs re est ipsius verba  
 transcribere. Putat ille siquidem valida probari  
 Hæreticorum conjugia absque Parocco contracta-  
 „Quia, nisi id admittamus, fatendum erit, omnia

F

Hæreti-

„Hæreticorum Matrimonia in Gallia esse fornica-  
 „tiones, & omnem eorum Sobolem esse illegiti-  
 „mam: Nam vix est Paræcia ulla in Gallia, in qua  
 „Decretum Concilii Tridentini adversus Clande-  
 „stina Matrimonia non sit promulgatum, & tamen  
 „celebrantur ibi ab Hæreticis conjugia non coram  
 „Parochis, sed corum Ministris. Igitur, si assisten-  
 „tia Parochi æquè pro Hæreticorum Matrimonio  
 „exigeretur, ac pro Matrimonio Catholicorum,  
 „omnia Hæreticorum Matrimonia per Galliam  
 „essent scortationes, omnes Hæreticorum uxores  
 „scorta, omnes Liberi spurii haberi deberent, quod  
 „dici non posse multa evincunt; Nam alioquin  
 „malè faceret Ecclesia, cum id simularet in Hære-  
 „ticis, nec ea, ut de aliis sceleribus, quæ ex impiis  
 „Dogmatibus exercent, ut de negatione Baptismi  
 „Pueris extra Cathechismus, de ciborum contrain-  
 „terdictum usu, deque aliis plerisque illicitis re-  
 „dargueret. Malè item ficeret, cum redeuntibus  
 „ad se à Calvinismo Conjugibus, qui in hære-  
 „contraxerunt, & consummarunt, non præscribe-  
 „ret, ut confiteantur, quoties usi sint prætenso Ma-  
 „trimonio; nam juxta sententiam, quam rejicimus,  
 „totiès peccassent mortaliter. Et quamvis dici pos-  
 „sit, quod id ab aliquibus non sit explicandum quia  
 „fuerunt in bona fide, nec mortaliter deliquerunt  
 „ea in parte: tamen plerique alii, ut qui inter eos  
 „sunt eruditiores vel à nostris Doctribus id inau-  
 „dire potuissent, bona fide caruissent, atque adeo  
 „tenerentur ad explicandum prædictum nume-  
 „rum, quod dicere esset, usum omnium Veritorum  
 „Confessorum damnare, & illaqueare Consci-  
 „entias, nec modicum obicem conversioni pluri-  
 „morum opponere.

50. Ad

50. Ad argumentum ex Tridentino desumptum  
 „respondet -- hanc legem, tametsi justam , & san-  
 „ctam , esse tamen humanam : atque adeo aduersus  
 „eam posse præscribi interveniente bona fide , &  
 „silente Ecclesia. Qamvis enim exemptio à sub-  
 „jectione debita potestati Spirituali Summi Pon-  
 „tificis non possit præscribi , cum ea subjectio sit  
 „Juris Divini , & nulla humana obfirmatione , aut  
 „voluntate sit abdicabilis, tamen exemptio ab ob-  
 „ligatione legis semel latæ , nec renovatæ à Supe-  
 „riore præscribi potest consuetudine , ut definivit  
 „Greg. IX. cap. ult. de consuetudine , & ex multis  
 „DD. confirmat Covarr. 3. Variar. cap. 13., &  
 „nominatim quoad leges humanas de sic, vel aliter  
 „ineundo Matrimonio id ipsum notavit Lessius de  
 „just. cap. 6. n. 45.; neque dicas ad præscriben-  
 „dum exigi bonam fidem, quæ Hæreticiis deest ;  
 „quamvis enim Hæretici quoad dissensum à Fidei  
 „Dogmatibus careant bona fide ; tamen quoad  
 „usus Sacros , & Leges politicas Ecclesiasticas pos-  
 „sunt bona fide potiri , præsertim qui non inchoa-  
 „runt usum contrarium Legi Ecclesiasticæ, & Præ-  
 „latis , quorum esset legis neglectæ observationem  
 „curare nihil tale urgentibus.

51. „Quamvis igitur Hæretici (*prosequitur idem Author*) initio cum Lex Concilii Tridentini quoad  
 „Matrimonia Clandestina in Locis ipsorum pro-  
 „mulgata est , peccaverint , eam non servando , &  
 „irrita Matrimonia celebrarint non advocando Pa-  
 „rochum, tamen posteriores, qui priorum vestigiis  
 „insistentes, de ea obligatione non cogitarunt, nec  
 „dubitarunt , quin validè sine Parochio contrahe-  
 „rent, fuerunt quoad hoc in bona fide, tandemque

„per consuetudinem diurnam , dissimulante Ec-  
„clesia, præscripserunt Jus contrahendi validè abs-  
„que Parochi proprii præsentia, non obstante Lege  
„Concilii obligante Catholicos , circa quos Eccle-  
„sia invigilavit , ut contra eam Legem semel pro-  
„mulgatam non peccarent impunè , & ne contra  
„eam possent præscribere.

52. Respondet etiam argumento desumpto ab  
authoritate S. Congregationis Concilii ita scribens  
„Quod verò Eminentissimi Cardinales declara-  
„tioni Tridentinorum Decretorum præfecti affir-  
„masse dicuntur , Decretum hoc Tridentinum de  
„advocando Parocho obligare etiam Hæreticos, si  
„sit promulgatum in Locis , in quibus degunt , ex-  
„pediri potest dicendo, vere ita esse rem spectando  
„unde, & attenta vi juris humani legitime nondum  
„præscipti. Id enim intererat docere, quia est per  
„se, & pertinet ad communem Juris obligationem.  
„Quod autem aliqui, intervenientibus conditioni-  
„bus ad præscribendum idoneis præscribant con-  
„tra Legem, & per accidens, nec consideratur à Sa-  
„pientibus , sicut, qui diceret Legem Jejunii obli-  
„gare etiam Mulieres in tali ætate, rectè diceret per  
„se loquendo , neque esset repræhendendus , eo  
„quod Mulieres gravidæ , etiamsi ad eam ætatis  
„mensuram pertigerint, non teneantur lege Eccle-  
„siastica Jejunii; quia per accidens est ad legem la-  
„tam pro Personis in tali ætate constitutis , quod  
„inter eas aliquæ habeant impedimentum graviditatis,  
„DD. autem æquæ , ac Legislatores non spe-  
„ctant ea, quæ sunt per accidens , sed tantum quæ  
„sunt per se.

53. „Hi porrò Eminentissimi Interpretes“  
(subjicit)

(subjicit ille demum) „non habent locum Legislatorum, neque urgent obligationem Legum ab Ecclesia lata cum, ut obsistant præscriptionibus aduersus eas, sed merè interpretantur Legislatoris mentem, qualis fuit, cum Lex est lata. Ac proinde in re præsenti non infirmant præscriptionem. „Nec tantum, eam nunc infirmant postquam legitime præscriptum est: Sed etiam non infirmassent, „nec impediissent cursum ejus, quamvis eorum declaratio fuisset exhibita ante exactum tempus legitimum ad præscriptionem necessarium, quia eorum scripta (ut dixi) sunt tantum declarationes sensus Legis à Tridentina Synodo latæ, non autem confirmationes, vel renovationes ejus ad abruptam inchoatam præscriptionem, tantumque differunt ab Interpretationibus privatorum DD., „quod sint autenticæ Interpretationes, nec adversus eas recalcitrare liceat, quod fas est adversus aliorum DD. Interpretationes præstare. „

54. Postremò illud etiam pro coronide veluti peculiari animadversione dignum videtur, quod cum viginti, & amplius Authores superius indicati sub num. 25. stent pro validitate Matrimoniorum, de quibus agitur, & eorum plerique scripserint, quum tantum temporis spatium à die defectionis Hollandiæ à fide catholica non præteriisset nec eadem, quæ modò spem ferè omnem redigendi Gentes illius ad obedientiam S. Sedis præscidit, rerum constitutio firmata eslet, ponderandum se offert, an dictorum Doctorum sententiæ libenter hodie sit adhærendum; Eoque magis si conjungatur maxima occasio dubitandi, quod controversum Tridentini decretum nunquam fuerit iis in Regionibus

nibus legitimè promulgatum: Hæc enim sola ratio, quod clarè non constet de legitima illius promulgatione, sufficere potest, ut pro dictorum Matrimoniorum validitate tutò pronuncietur, ad tradita per Doctores allegatos sub num. 13. Immo verò Sacram quoque Congregationem fuisse in sensu, quod in iis Regionibus, ubi non constet Decretum prædictum fuisse publicatum in Parochiis intelligibili idiomate, seu numquam receptum, & in usu positum, vel ipsius memoria perierit; Matrimonia coram non Parochis contracta valida sint, apparet ex Resolutione emanata in *Indiarum Orientalium Matrimonii* 30. Martii 1669., & confert etiam Rescriptum prius editum in *Causa Poloniae* 13. Novembris 1638.

55 Quoniam verò de Resolutionibus, atque Rescriptis hujus S. Congregationis jam plures incidit sermo, ne ista lateant EE. VV., quotquot ad propositam quæstionem pertinentia summo labore exquisita licuit invenire, ad literam, uti ea legere est in libris Decretorum. Eminentiarum V.V. oculis subiiciuntur; At quia ex illis nondum satis Pastorum solicitudini, qui in Belgio, finitimisque Provinciis Animarum curæ invigilant, satis consultum videtur, præstat repetere, quod jam pridem Guillelmus Estius (cujus tamen doctrina num in reliquis mereatur approbari, S. Sedis Judicio relinquitur) firmorem super hac re definitionem exoptans veritus non est pronunciare *in 4. dist. 24. §. In fin.* „Huic malo, quod ex Hæreticorum inobedientia „nascitur, poterit Ecclesia maturiori consilio, quod „aliquando futurum speramus, occurrere; Idque „, vel

„vel explicando Decreti sui sensum, vel novum

„Decretum statuendo.“

Et ita &c. Sub censura &c.

C. A. Archiep. Philippen. S. C. C.  
Secret.

## E.

### RESOLUTIONES

SACRAE CONGREGATIONIS,

Quæ conferre videntur ad Decisionem  
Causæ

Iren. Visitationis Sacr. Liminum.

**A**NTUERPIEN. Licet per Decretum Sacri Concilii Tridentini Sess. 24. cap. I. caveatur, quod Matrimonium aliter, quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus contractum sit irritum, & nullum, imposita etiam pœna iis, qui hujusmodi contractui interfuerint, quodque per Bullam fel. rec. Pii IV. ordinatum sit, omnia Decreta Concilii ad reformatiōnem, ac jus positivum spectantia à Kalendis Maii tunc proximè præteriti omnes obligare cœpisse, neque post eam diem excusationem cujusque admittendam; tamen, dum ex facto proponeretur, Martinum de Rivera natione Hispanum, dum in Civitate Condonen. Regni Angliae negotiandi causà uno, aut altero mense solùm egisset, tertia mensis Augusti anno 1572. in præsentia cujusdam Notarii publici, & cujusdam Alphonsi Basurtii in quo-

dam Cænaculo cum quadam Hestere de Sabitoris etiam Catholica, & quæ à duobus tantum mensibus citra ex Civitate Antuerpiensi in Angliam venerat, protulisse, & scripsisse, vel subsignasse verba sequentia -- *Ego Martinus de Rivera accipio Hesterem de Sabitoris pro mea sponsa, & uxore ex hoc die in ante a protota vita mea, eoque sine ei do meam veram fidem;* & dictam Hesterem similia reciproca verba ad prædictum Martinum directa protulisse, scripsisse, vel subsignasse, hoc addito, quod inter ipsos Contrahentes id actum fuisset, ut, data opportunitate, in Hispaniam, aut in inferiores Regiones Catholicæ Majestati subjectas trajicierentur, ibique solemniter in Sanctæ Matris Ecclesiæ facie Matrimonium contraherent.

Dubitatum est, an ne prædictum Decretum Concilii Tridentini ad prædictos Contrahentes, non obstante, quod paulò ante in Regnum Angliae heretica pravitate infectum, ubi Parochorum non est copia, divertissent, porrigi, & extendi debeat, easque ad sic contrahendum inhabiles reddiderit.

Sacra Congregatio censuit, non extendi, si in illa Ecclesia, in cuius Parochia tunc habitabant Contrahentes, nondum ea tempore, quo sic contraxerunt, erat, ut palam dicitur, publicatum Decretum Concilii sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 1..., ut in lib. 1. Decr. pag. 74.

POLONIÆ, discussso Dubio, -- An, quando mulier Catholica cum Hæretico, vel è contra Matrimonium, præsente Ministro hæretico, contrahat in loco, in quo dubitatur, an Sacrum Concilium Tridentinum fuerit publicatum, debeat coram Parocho Catholicò iterum contrahere, -- Sacra Congregatio sub diem

diem 13. Novembris 1638. ita respondit -- Si non constet de publicatione Sacri Concilii Tridentini in Parochia Contrahentium, non esse invalida Matrimonia coram Ministro heretico contracta: Si vero constet de publicatione Sacri Concilii in Parochia saltet ex illius observantia per aliquod tempus, tamquam Decreti Sacri Concilii, ad validitatem Matrimonii requiri, ut coram Parocho Catholico iterum contrahant, -- ut in lib. 16. Decr. pag. 117.

INDIARUM ORIENTALIUM MATRIMONII. In Scripturis, & informationibus à Sacra Congregatione S. Officii ad hanc Sacram Congregationem præ infrascriptorum Dubiorum resolutione remissis continetur, quod in Serra de Malavari Indiarum Orientalium ab exordio Schismatis aliqui Catholici conjungebantur in Matrimonium à Parochis invalidè ordinatis ab Archidiaco-  
no intruso: alii à Presbyteris Catholicis in Parochos institutis ab eodem Archidiaco: alii à Presbyteris factis Schismaticis, & in Parochos à populo electis: alii absque interventu ullius Paro-  
chi ob timorem Regum Paganorum, & in aliqui-  
bus Matrimoniis dictus Archidiaconus dispensavit super impedimentis dirimentibus. Istis positis,  
quæritur. --

I. An Matrimonia in predictis casibus contracta  
sint valida.

II. An in Serra Matrimonia clandestina sint in-  
valida.

III. An, supposita hujusmodi Matrimoniorum in-  
validitate & impossibilitate Conjuges separandi, vel  
eos denuò publicè contrahere faciendi, potuerit Epis-  
copus concedere, & publicare se concessisse Parochis

eos denuo privatim in Ecclesia coram duobus, aut tribus Testibus absque alia publicatione conjungendi.

Die 30. Martii 1669. Sacra Congregatio respondit -- Ad I. si Decretum ejusdem Concilii cap. 1. sess. 24. de ref. Matr. in iis Regionibus non fuit publicatum in Parochiis intelligibili idiomate, seu nunquam receptum, & in usu positum, vel ipsius memoria prorsus perierit, valida esse infra scripta Matrimonia, nempe contracta coram Parochis ordinatis, seu institutis ab Archidiacono intruso. Secundò contracta coram Sacerdotibus Catholicis, & institutis Parochis ab eodem intruso. Tertiò contracta coram aliis Sacerdotibus factis Schismaticis. Quartò contracta coram Parochis à Populo electis. Quintò tandem contracta absque ullius Parochi presentia. Si verò Decretum illud Sacri Concilii fuit prefato modo in Parochiis publicatum, & receptum, aditque memoria, quod de tempore ante Schisma erant in usu, & coram legitimo Parocco, vel Missionario Apostolico, & Testibus juxta formam Concilii contrahebantur Matrimonia, in hoc casu esse distinguendum, vel Parochi legitimi, aut Missionarii aderant in ea Regione, & accessus ad eos erat tutus, & facilis, vel non aderant, nec, si aderant, accessus ad eos erat tutus facilis, si primum, omnia prefata Matrimonia, cum potuerint fieri coram Parocco legitimo, vel Missionario, & non fuerunt sic facta, esse invalida, & revalidanda: si secundum, juxta alias decism ab eadem S. Congregatione, stante impossibilitate habendi legitimum Parochum, vel Missionarium, esse valida, si coram Testibus saltem facta sunt. Contracta autem cum impedimentis dirimentibus dispensatis ab In-

truso

truso esse invalida, nec posse dissimulari, & propterea, obtenta dispensatione à Sanctissimo, vel ab alio facultatem à Sanctissimo habente, esse revalidanda. Ad II. ut supra, si nimurum præcitarum Decretum Sacri Concilii fuit in Parochiis intelligibili lingua publicatum, Clandestina esse invalida, si non ita publicatum, esse valida. Præsumendum autem esse, quod fuerit hoc modo publicatum, si de tempore, vel presenti, vel præterito extet memoria, qnod Matrimonia contrahi solebant coram Parocho, aut Missionario, & Testibus tanquam ex præscripto ejusdem Sacri Concilii. Ad III. modum illum revalidandi secretò coram Parocho, aut Missionario, & Testibus sine nova publicatione esse legitimum, & prudentem, ideoque in similibus casibus Clandestinorum usum tenendum, - ut in lib. 26. Decret. pag. 198. & 199.

RUREMUNDEN MATRIMONII. Catholicus cum Hæretica, quæ hæresim abjurare promiserat, Matrimonium coram Magistratu sacerdotali in loco, ubi Concilium Tridentinum est receptum, & Parochus commodè haberi, & adiri poterat, contraxit, & postea consummavit; verum quia mulier non solùm ad hæresim abjurandam adduci non potuit, sed etiam alteri viro nupfit. Orator ad Partes viventes sub obedientia S. Sedis se recepit, & cum alia muliere contrahere desiderat, sed quoniam Ordinarius recusat permettere absque S. Congregationis declaratione; Orator supplicat decerni

An prædictum Matrimonium contractum ab ipso cum dicta Hæretica modo, ut præfertur, fuerit nullum.

S. C.

S.C. die 2. Maii 1676., rescripsit, secundum ea, quæ proponuntur, dictum iMatrimonium fuisse nullum, ut in lib. 29. Decr. pag. 241.

**GEDANEN MATRIMONII.** A Sanctissimo D. Nostro remissus fuit pro voto supplex libellus sequentis tenoris - Beatissime Pater - Officialis Gedanen defert hunc casum de consensu Partium prout de jure decidendum. Fuit contractum Matrimonium inter Eliam Constantium Schodier Catholicum, & Elisabetham Mulierem hæreticam, non tamen coram Parocho Catholico, licet ibi fuerit publicatum Sacrum Concilium Tridentinum, supplicat itaque committi declarationem Sacræ Congregationi Concilii Tridentini, ut Partes possint sibi consulere.

*An Matrimonium hujusmodi fuerit nullum.*

Sac. Congregatio die 8. Maii 1677. distulit resolutionem, quo usque distinctius informent, ut in lib. 29. Decr. pag. 415. terg.

**GEDANEN. MATRIMONII.** Proposito per libellum à Sanctissimo remissum Dubio infra scripto 8. Maii proximè præteriti, dilata fuit Resolutio, ut Proponens magis distinctè informaret. Nunc igitur addit, quod in loco Matrimonii Concilium fuit publicatum, ibidemque adest Parochus Catholicus: iterum igitur instat decerni.

*An Matrimonium inter Catholicum, & Hæreticam contractum, non tamen coram eorum Parocho Catholico, fuerit nullum.*

Sacra Congregatio die 4. Septembris 1677. respondit - Affirmative Matrimonium fuisse nullum, ut in lib. 29. Decr. pag. 501.

HOL-

HOLLANDIÆ MATRIMONIORUM. Quidam ex Missionariis significavit D. Internuntio Belgii, complurium Catholicorum conscientias scrupulis agitari circa validitatem Matrimoniorum, quæ inter Catholicos, & Hæreticos coram Magistratu hæretico contracta sunt. Censebant prius Missionarii, Matrimonia hujusmodi nulla esse, tum quia Sac. Concilium in dictis Provinciis publicatum, ac receptum fuit, tum quia hæc Sac. Congregatio anno 1603. à D. Nuntio Apostolico consulta respondit, Ipsorum etiam Hæreticorum Matrimonia absque forma Concilii quamvis coram Ministro hæretico, vel Magistratu loci contracta nulla, atque irrita esse: consueverant itaque Missionarii Catholicos de nullitate monere, eorumque conscientias urgere ad validandum Matrimonium ritu Catholico, cum separari non possent.

Ab hac autem praxi modò cessatur, quia Vicarius Apostolicus prohibuit per hæc verba - Prohibemus etiam sub pœna suspensionis ab Officio Missionis omnibus Missionariis, ne quis Personas, quarum altera est Acatholica, nobis inconsultis, & sine nostro speciali consensu præsumat conjungere.

Imo in aliquot casibus pro licentia requisitus, respondit, ut Puella cum Acatholico Matrimonium initura ritu Catholico conjugatur, non expedit tum ob Sacramenti Sanctimoniam, quæ violatur, dum Acatholico administratur; Tum ut Catholica conjux aliqua pœna afficiatur, quod non in Domino nuperit; Poterit tamen cum Acatholico conjugaliter vivere, quia conjunctio coram Magistratu facta est civile Matrimonium,

quod

quod liberat à fornicatione, quamvis non sit Sacramentum, quod usum conjugis cælesti gratia perfundit: porrò Puella illa à Sacramento Eucharistiæ suspendenda est, junctâ tamen pœnitentiâ, ut sèpius veniat ad Sacramentum, pœnitentius, sanctis adhortationibus, & piis operibus in Dei servitio confirmanda.

Vicarius autem à D. Internuntio requisitus opinionis suæ fundamenta assignat, quod Hollandi ab hominibus non reputantur spurii, sed illorum Cætus, Reipublicæ, & Civitates, ac si alter conjugum Fidem Catholicam amplectatur, adhuc Matrimonium constat non obstante publicationem Conc., quia dici potest publicatum in illis provinciis, non tamen in illa Republica, quæ hodie non est eadem, quæ tunc temporis erat, neque quoad gubernium, neque quoad Habitatores, neque quoad Religionem, ideoque non obstante decretum S. Congregationis, quia si congruebat illi tempori, quo nondum desperata erat Reverso ad Hispanos, non congruit huic tempori, quo Hollandi non sunt amplius subditi, & Respublica immutata est.

His stantibus, D. Internuntius à Missionario requisitus per Secretariam Status supplicat ab hac S. Congregatione declarari.

*An in Provinciis Belgii confœderatis valeant Matrimonia Catholicorum cum Heterodoxis contra-  
et a coram Magistratu Hæretico non obstante Decreto Concilii de solemnitatibus Matrimonii in illis Provinciis publicato, & recepto.*

S. C. die 23. Augusti 1681. rescripsit - ad mentem cum Sanctissimo, scilicet, si esset respondendum

dum Dubio, esset respondendum negativè, ut in lib. 31. Decr. pag. 459.

**BOSCOLUCEN. MATRIMONIORUM.** Vicarius Apostolicus enarrat fuisse ab Hæreticis editam legem, qua cayetur, nulla esse Matrimonia, quæ coram Magistratu, aut Ministro Hæretico celebrata non fuerint, unde dubitat, an in casu, quo quis ex Conjugibus, qui Matrimonium juxta legem præfatam iniverunt, convertantur ad Fidem, teneatur renovare consensum coram proprio Parocho, maxime cum pluries necesse sit conversionem occultare, & quia qui prætenderet nullitatem primi contractus, gravi pœnâ afficeretur, tamquam violator d. legis, neque hæreticus conjux permitteret novum consensum præstari, supplicat Sanctissimo Domino Nostro, quatenus declarare dignetur, licere conversis continuare in Matrimonio contracto coram Ministro hæretico etiam sine novo consensu, quoties iste commodè præstari non possit.

Cum autem Sacra Congregatio S. Officii hujusmodi Dubiorum decisionem ad hanc Sacram Congregationem remiserit, Eminentissimi PP. respondere non gravabuntur.

I. An; si quis, dum erat hereticus, Matrimonium contraxit coram Magistratu, vel Ministro hæretico, & postea convertatur ad Fidem Catholicam, requiratur ad validitatem hujusmodi Matrimonii novus consensus utriusque Conjugis, vel conversi tantum?

II. An, quatenus hujusmodi novus consensus præstari commodè nequeat, nihilominus indulgendum sit, ut in hujusmodi Matrimonio possit conversus licet perseverare.

Sacra

Sacra Congregatio die 13. Febr. 1683. re-scripsit - Ad mentem. *Mens est, quod servetur id, quod fuit observatum in simili casu à Sacra Congregatione Concilii in una Hollandiae Matrimoniorum 23. Augusti 1681., -- ut in lib. 33. Decr. pag. 52.*

DUBIUM VALIDITATIS MATRIMONIORUM INTER CATHOLICOS, ET HÆRETICOS. In Diœcesi Antverpiensi pro majori parte sita sub Domino Hollandiæ inita Matrimonia coram Magistratibus Secularibus revocantur in dubium, tatiquam non servatâ formâ Concilii Tridentini, licet ibidem publicata sub Imperio tamen Hispaniæ ad tollenda clandestina, quæ fieri consueverant. Modo sub dominio Acatholicon, nullis existentibus solemniiis, contrahuntur coram Schabinis, & Reformatis, quæ validatetur Episcopus Canturiensis nuper in Hollandia Vicarius Apostolicus, ea ductus ratione, quia forma præscripta sit tantum in Locis Catholicis, hujusmodi sit praxis apud Germanos, & Pœnitentiarios Romæ similia Matrimonia non reprobantes, cum autem in hac Diœcesi pro invalidis constanti consuetudine habeantur, instat modernus Episcopus pro declaratione.

*An hujusmodi Matrimonia, non servatâ formâ Concilii, sint valida.*

Sacra Congregatio die 14. Januarii 1690. respondit - *Ad Dominum Secretarium juxta mentem cum Agente Episcopi Antverpiensis, -- quæ tamen non fuit explicata - ut in lib. 40. Decr. pag. 47.*

RUREMUNDEN, MATRIMONIORUM.  
Relato

re-  
tur  
Con-  
ecr.  
  
IO-  
RE-  
jori  
no-  
itut  
cili  
erio  
fie-  
oli-  
un-  
lida  
idia  
quia  
cis,  
eni-  
pro-  
idis  
der-  
  
ma  
  
re-  
zen-  
qua  
ecr.  
  
JM.  
late

Relato die prima Martii præteriti statu Ecclesiæ Ruremündensis, Episcopus inter cetera exposuit.

In quibusdam Partibus hujus Diœcesis Hæreticis subjectis, iidem obligant omnes nubere coram Magistratibus sub poena nullitatis, & prohibitum est sub gravi poena, ne renovent suos consensus coram Sacerdote, imo plurimi utriusque sexus vadunt habitatum sub Hæreticis, & postquam ibi sunt conjuncti, revertuntur ad antiquam residentiam, nec volunt (præsertim si mariti sunt hæretici) renovare consensum coram Parocho, quapropter ad tollendas angustias Confessariis, quando pars Catholica venit ad Confessionem, supplicat responderi - *An similes possent sic relinqui, & tamen à suis absolvii peccatis.*

Hujusmodi Dubio proposito, Sacra Congregatio cognitionem remisit ad Sacram Congregationem S. Officii, quæ & ipsa satius duxit idem Dubium de novo remittere ad hanç Sacram Congregationem Concilii sub die 4. Junii proxime præteriti, quare dignentur EE. VV. benigniter respondere.

S. C. Conc. die 19. Julii 1692. hujusmodi causa cognitionem remisit ad Sacram Congregationem S. Officii, -- *ut in lib. 42. Dec. pag. 428. terg.* Factis autem diligentiis, nihil in Regestis S. Inquisitionis potuit reperiri, quod oculis EE. VV. subjiceretur.

GANDAVEN. V. SS. LIM. Exponente inter cetera Ep. - Licet pauci Subditi Diœcesis sint Hæretici, multi tamen à triennio, & ultra tempore præsidii hyemalis copiarum Principum Confœderatorum confluunt, quorum plurimis adhærent

G filia

filiæ Diœcesanæ sub specie prætensi Matrimonii contracti coram Ministris Acatholicis. Consului Theologum Lovaniensem, qui resolvit, hujusmodi Matrimonia non posse sustineri, nec licita esse, sed cum his belli temporibus impossibile sit abusus hosce repellere, maximè quia Consilium Flandriæ causas omnes etiam Ecclesiasticas ad se trahit, hinc supplicat edoceri, *An*, & quomodo in hos abusus se gerere debeat, Sacra Congregatio die 3. Martii 1696. respondit - *Ad III. Matrimonia esse nulla*, -- ut in lib. 46. pag. 138. & seqq.

**VENETIARUM.** R.P. Patriarcha Venetus supplicat pro decisione casus infrascripti -- Titius Italus, & Catholicus, contractis Amstelodami Sponsalibus cum Berta pariter Catholica, temerè ductus ad Ecclesiam Hæreticorum Matrimonio junxit cum eadem Berta coram Ministro Acatholico, & testibus, illudque successivè consummat. Non multò post mercaturæ causâ in Hispaniam profectus, & illinc Amstelodamum reversus invenit Bertam alteri se in Matrimonium copulasse. Licet autem plene edoctus fuisset, in ea regione in hisce casibus optionem dari marito, vel repetendi, vel deserendi uxorem, statuit tamen eam deserere. Quare, Bertâ derelictâ, navigans in Græciam aliam Puellam in uxorem duxit, ex qua filios suscepit. Modò Titius factus dubiæ fidei circa validitatem primi, vel secundi Matrimonii supplex exposcit Sapientissimum EE. VV. oraculum super infrascriptis nempe.

I. *An primum Matrimonium contractum cum Berta coram Ministro Acatholico fuerit validum necne.*

II. *An*

II. An secundum Matrimonium cum Puella Graca sustineatur?

Sacra Congregatio die 1. Decembris 1696. respondit, -- Primum Matrimonium esse nullum; Secundum esse validum, nisi aliud obstat, -- ut in lib. 46. Decr. pag. 481.

HOLLANDIÆ MATRIMONII. Decem ab hinc annis Vir quidam Boisalair nuncupatus origine Gallus, dum stipendia merebatur apud Batavorum turmas in Provinciis Hollandiæ, Matrimonium contraxit cum quadam Puella cognomento Sckoltis, nata ex Patre Luterano, & Matre Catholica, quæ moram trahebat in Pago de Rysvich prope Hagem. Matrimonium id præcesserunt proclamata solemnia juxta morem earum Regionum in Æde Aca tholicorum Reformatorum cum interstitio septem hœbdomadarum, quibus elapsis, præfati sponsi conjuncti fuerunt à ministro hæretico. In statu conjugali vixerunt iidem sponsi quinque, & amplius annis, procreando etiam prolem jam defunctam, donec dictus Boisalair captivus in bello factus, in Gallias ductus fuit, ubi sub Regis stipendiis merere perexit. Hoc interim plures literas amore, & æstimatione refertas suæ Conjugi dedit, sed abhinc circiter biennio, cum reperiretur in Statis Civitatis Yprarum in Belgio, captus amore cuiusdam Puellæ ex Custode Carcerum natæ, cum ea aliud iniit Conjugium, & prolem suscepit, deferendo supradictam primam Conjugem, quæ ad animum id revocans se contulit Ypras, queras suas deferendo apud Episcopum D. Civitatis, & Magistratum loci pro repetitione sui Viri. Episcopus antedictus dicitur in eo sensu esse quod

primum Matrimonium sit nullum ex defectu praesentiæ Sacerdotis Catholici: Hinc exoptans Pastor Hagæ edoceri, an in casu, quo primum Matrimonium declaretur nullum ab Episcopo Ypres, possit Mulier iterum cum alio nubere, exhibuit Abbatii Passioneo thema facti suprà recensiti, ab eoque transmissi ad Secretariam Status Sanctissimi Domini Nostri, à qua ad Supremum Tribunal S. Officii, & ab eo tandem ad hanc S. C. pro resolutione remissum fuit. Pleraque excitat motiva idem Pastor super primo Matrimonio præmisso. Quod nimirum fuerit illue solemnizatum præter morem, cum lapsu scilicet septem hebdomadarum ad proclaimata facienda, cum dumtaxat quindecim dies intercedere soleant; quod Conjuges uti subjecti illis statibus Generalibus contraxerint coram persona publica, & in publico loco; Quod vixerint pluribus annis uti Conjuges, suscepta prole: Quod, ubi unus contrahentium est Catholicus, alter verò hæreticus, regulariter conjunctio non fiat coram Parochio Catholico, sed solummodo coram Magistratu, sive alio Ministro, hocque non obstante habeatur inibi contractus validus, juxta assertam decisionem olim factam à S. C. Inquisitionis tempore Castoriensis; Quod aliter peccaretur adversus Patrias leges dictantes primum Matrimonium esse validum; quod tandem ejusmodi Matrimonium ita sequutum, etiā improbatum, nunquam tamen controversum, seu rejectum extitit à Pastore Catholico. Præfatus Abbas Passioneus propendere videtur insubstantiæ opinionis Episcopi Ypres. quam nonnisi cum alteratione Patriarum legum locum sibi vindicat posse

inter Protestantes & Catholicos. 101  
posse asseverat. Quibus sanè perpensis, quæritur ab  
EE. VV. declarati.

An primum Matrimonium contractum inter pre-  
fatum Virum Boislair & Puellam Sckoltis sit validum  
in casu &c.

Die 15. Novembris 1710. Sacra Congregatio  
distulit propositionem, & Causa non appareat am-  
plius proposita.

COLON/EN. Maria Anna de Horst Patria Ju-  
liacensis, & de Diœcesi Coloniensi, viginti circiter  
ab hinc annis cum esset in ætate annorum quatuor-  
decim, Matrimonium contraxit Parentibus invitatis,  
cum Boleslao Schuerin Hæretico Pomerano Neo-  
magi in Hollandia coram Ministro Hæretico, licet  
Parochus Catholicus adiri, & cōmodē haberi po-  
tuisset in eodem loco. Ex hoc Matrimonio duo Fi-  
lli nati sunt, cumque Boleslaus, post quinquen-  
nium Mariam Annam deseruisset, & abiens in lon-  
ginquas Sveciæ Regiones hæreticam duxerit Uxo-  
rem, infelix Marianna, quæ miseram duxit vitam  
per spacium plurium annorum, cum occasionem  
invenerit Matrimonium contrahendi cum Edmun-  
do Gevershagen Catholico, supplices preces por-  
rexit huic Sacræ Congregationi pro declaratione  
nullitatis Matrimonii à se contracti cum Boleslao,  
& pro libera facultate Matrimonium contrahendi  
cum Edmundo.

Datæ fuerunt literæ pro informatione ad Ordi-  
narium, qui respondit, primò subsistere in facto ea,  
quæ fuerunt exposita; secundò, Matrimonium  
fuisse contractum coram Ministro Hæretico Ca-  
strensi, non tamen proprio illius Legionis, sub qua  
Boleslaus militabat; terriò, potuisse contrahi Ma-

trimonium coram Missionario Catholico, & Testibus juxta Concilii Tridentini Decretum ; quartò, Concilium Tridentinum, & Decretum de Matrimonio contrahendo coram Parocho, & Testibus fuisse in loco publicatum , nec ullam quoad hunc punctum moveri posse controversiam ; quintò se juxta repetitas hujus Sacrae Congregationis Declarationes inclinare pro nullitate Matrimonii , sed se deinde dubitare, ex quo Eminentissimus Dominus meus Card. Petra in suis doctissimis Commentariis ad Constitutiones Apostolicas tom. 4. scripsit non expedire, ut procedatur ad declarationem nullitatis horum Matrimoniorum , cum ex consimilibus declarationibus multa mala sequantur , & Catholici degentes in Regionibus Hæreticorum periculis persecutionum exponantur , sextò , se hæc mala prævidere in casu, de quo nunc agitur , cum in recessu , quem vocant, Religionis factō de anno 1672. inter Marchionem Brandenburgicum , & Ducem Neoburgiçum intuitu terrarum ex successione Juliacensi inter se divisarum, conventum fuerit, quod in contrahendis mixtis Matrimoniis, hoc est v. g. Catholicæ cum Hæretico , assistere semper debeat Parochus, seu Minister Sponsi, & quod professio mascula educetur in Religione Patris , & Professio Fœmina in Religione Matris ; septimò, quod, licet hæc prodierint ab incompetenti auctoritate, nihilominus in praxi recepta sunt, ita ut mala, infornia , persecutioes Catholicorum , & alia hujus generis imminere probabilissimè credenda sint , si ad aures Principum Acatholicorum deveniat, pro nullis haberi Matrimonia contracta coram Ministro Hæretico à Fœmina Catholica cum Viro Ethero- doxo;

doxo; octavò, superesse modum, quo res componi posset, si videlicet, prætermisso defectu assistentiæ Parochi Catholicæ, procederetur ad publicationem nullitatis Matrimonii ut potè contracti coram Ministerio, qui non erat proprius Sponsi Minister, erat enim Minister alterius Legionis, sub qua Boleslaus non militabat, uti supradictum est, cum Acatholici, etsi reputent valida Matrimonia contracta coram alieno Ministerio, severè nihilominus puniant Ministrum assistentem Matrimoniis, quæ à suis subditis contracta non sint, & idcirco credi possit mitius esse laturos, si nullum declaretur id, quod ipsi perperam gestum agnoscunt; ultimò demum permisum fuisse Boleslao remanere in secundo Matrimonio contracto cum Hæretica, non quia existimatum fuerit, primum Matrimonium contractum cum Maria Anna fuisse invalidum, sed quia ponderatum fuit ab Hæreticis, uti sibi Ordinarius Coloniensis asserit, ex actis constare, quod secundum Matrimonium contractum fuerat cum Fœmina nobili præcedentis Matrimonii ignara.

Hæc sunt, quæ continentur in luculenta dicti Ordinarii Relatione; nunc autem transeundo ad exponendam praxim, & consuetudinem hujus Sacrae Congregationis, nec non asserta Doctorum, præmissaque regula generali desumpta ex litera Concilii sess. 24. cap. 1. de reformat. Matrim., quod ipsa videlicet Sancta Synodus noluit nullitatem Matrimonii ex defectu præsentiae Parochi, & Testium sibi vindicare locum in parochiis, in quibus Decretum publicatum non fuerit, redactaque quæstione ad eos locos, in quibus Tridentinum Decretum fuit publicatum, nonnulli in ea sunt

opinione, quod Hæretici degentes in locis prædictis non sint prædictæ legi subjecti, itaut matrimonia ibi ab eis contracta coram ministro Acatholico, & sic sine vero Parocho, & Testibus provallis sint habenda, ut latè ostendere conatur *Theophilus Raynandus in Heteroclitic. spiritualibus tom. 16. pag. mihi 176. a. num. 7. usque ad num. 14.* Alii in ea sunt opinione, quod matrimonia hæc Hæreticorum valida sint in illis locis, in quibus ut potè tunc Principi Catholico subjectis, licet olim fuerit publicatum Tridentini Decretum; hodie nihilominus subsunt Principibus Hæreticis, quam assertionem ampliant etiam ad casum, in quo non deest copia Parochi Catholici, & etiam ad casum, in quo alter ex contrahentibus Catholicus esset, uti latè ostendere conatur *Vanespen. furio Ecclesiastici tom. 1. part. 2. tit. 12. de Sponsal. à num. 31. usque ad finem;* Et alii demum volunt matrimonia hæc Hæreticorum nulla esse, sive inter Hæreticos contracta fuerint, sive inter Hæreticum, & Catholicam, dum modò tamen copia haberit potuerit Parocho, aut Sacerdotis Catholici, qui matrimonio interesset, quam sententiam latissime tuetur *la Ceoix lib. 6. part. 3. de Matrimonio num. 772.,* & in pluribus sequent. & eidem latè adhærent etiam cæteri plena manu cumulati per *Anaclet. ad tit. Decret. de Clandestina desponsatione §. 3. à numero 132., sequen., P. Schmalzgrueber. adeundem tit. Decret. §. 2. à num. 115.,* & in pluribus sequen., ubi enim Parochi Catholici non sunt, vel est moraliter impossibile eos reperire, validum etiam est matrimonium sine eorum præsentia contractum juxta responsum *Ven: Dei Servi Card. Bellarmini, cuius meminit.*

Rot.

*Rot. decis. 308. num. 25. coram Dunoxet Seniore, &c  
quod per extensum refertur apud Gobat. in Theologiaradicali tract. centesimo decimo sexto cap. 4. de  
Matrim. Clandestino pag. mihi 528.*

Deveniendo ad hujus Sacræ Congregationis Resolutiones; Fuitaliás ab ea resolutum, Hæreticos teneri pro validitate matrimonii ad servandam formam præscriptam à Concilio Tridentino, si ejus Decretum fuerit in loco publicatum. Item hæc eadem Sacra Congregatio aliás resolvit Matrimonia hæc esse valida, quamvis contracta sine Parocho, si in loco nec Episcopus, nec Parochus adsit, dummodo tamen duo, aut tres Testes fuerint adhibiti, & sic servata fuerit, quantum potuit, forma Concilii, & omnes hæc resolutiones impressæ reperiuntur apud Pignatell. tom. 5. consult. 79. num. 26., & sequen. apud Anaclet. ad tit. Decret. de Clandestin. Desponsatione sub num. 132., & sub. num. 141., & apud Eminentissimum Dominum Cardinalem Petra ad Constitutiones Apostolicas tom. 4. pag. 78. & pluribus sequen., & concordant aliæ Resolutiones recentiores hujus ejusdem Sacræ Congregationis in Colonien. 16. Decembris 1719. lib. 96. Decret. pag. 609. à tergo, & in Moguntina 31. Maii 1721. lib. 71. Decr. pag. 184. tergo.

At quia hæc eadem Sacra Congregatio bis, hoc est in Causa Hollandie Matrimoniorum 23. Augusti 1681., & in Boscoducen. Matrimonii 13. Februarii. super hoc eodem Dubio rescripsit Secretario cum Sanctissimo ad mentem, & prædictus Eminentissimus Dominus meus Cardinalis Petra, qui pluribus annis laudabiliter, & laboriosè functus est officio Secretarii, mentem explicavit, quæ fuit, ut si Du-

bio respondentum esset, non aliter responderi posset, quām pro nullitate Matrimonii, sed animadversum, id non expedire, ne Catholici periculis exponantur, ex hoc natum est Dubium Ordinario Coloniensi juxta ea, quae in superioribus dicta sunt; In quo proinde rerum themate onus erit EE. VV. decernere.

*Quid in proposito casu statuendum sit, aut Ordinario Coloniensi respondentum.*

Sacra Congregatio die 17. Januarii 1728. distulit Propositionem: repropensa autem Causā sub diem 21. Februarii rescripsit - *ad Mentem*, quae in literis Coloniensi Officiali datis fuit hunc in modum explicata, quod Matrimonium, ut supra, à præfata Maria Anna contractum ex deductis sit nullum, ac proinde eidem Annæ Mariæ transitus ad alia vota permittatur -- ut in lib. 78. *Decret. pag. 73.* & in lib. *literarum. 27.*

## F.

### Validitatis Matrimoniorum Hollandiæ.

**A**D primum Dubium, circa quod de mandato EE. VV. mentem meam aperire debeo, respondendum censerem Affirmativè, loquendo saltem de valore istorum Matrimoniorum in ratione contractus.

Prima ratio, quae ad sic sentiendum me movet, est, quoniam mihi satis verisimile appareat, Caput primum de Reformatione Matrimonii Sess. 24. Concilii Tridentini ad Hæreticorum Republicas, Communitatesque non esse extendendum, id quod & rationem Theologicam, & Concilii Historiam,

&amp;

& Decreti Conciliaris verba probare videntur. Atque ut à ratione Theologica incipiam, hæc est ; Quia Theologi quærentes, quando, & quomodo Lex per interpretationem restringi possit, tria solent principia statuere, primum, quod restrictio Legis fieri potest ad vitandam absurditatem in ipsa Lege, cum nullus Legislator absurdum voluisse præsumendus sit : Secundum est, quod verba Legis ad ad terminos rationis ejusdem Legis restringenda sint, quia Ratio est veluti Anima Legis, & voluntas Principis sola ratione, & non gratis ad legem volendam movetur, quamobrem limitata ratione Lex quoque limitanda erit : Tertium est, quod Lex restringitur ex subjecta materia, cum Legis verba ex subjecta Legis materia intelligenda sint. Quibus principiis post Suarez lib. 6. de Legib. cap. 5. consentiunt Theologi, qui de Legibus tractant, quin & ipse Hugo Grotius de Jure Belli, & Pacis lib. 2. cap. 16. num. 22. in materia Promissionum, quæ restringendæ sint extra significationem verborum, eadem principia tamquam naturæ lumine, & in jure Gentium satis perspicua amplexus est, quæ ejusdem Grotii Commentatores ad Fædera, Leges, & Pacta extenderent solent.

Jam verò hæc omnia suadent, laudatum Tridentini Decretum restringendum esse quoad Hæreticos quoque, qui post ipsum Tridentinum suas peculiares Respublicas, Communitatesque constituti forent. In primis, quoniam alias Concilium absurdum voluisset nempe, & infinita quasi adulterina Conjugia, quæ, utcumque materialia dicerentur, sunt tamen, tunc maximè cum sunt innumera-bilia, semper absurdum, & maxima in legitimarum succel-

successionum, ac Hæreditatum confusionem, dubiaque, & anxietates Conscientiæ de valore Mattrimoniorum absque numero, quæ omnia dubio procul absurdâ sunt, nec ita de facili à cordato Viro, & multò minus à summa Charitate, ac prudentia Patrum Tridentinorum deglutienda erant.

Secundò eorundem Hæreticorum respectu cessat ratio, quæ sola plenè, & efficaciter movit Tridentinum ad prædictum Capitulum decernendum, quæ unicè fuit, ut idem Capitulum legenti constat, **damna**, & peccata impedire, quæ ex Clandestinis Matrimoniis oriebantur. Et quæcumque alia ratio in medium proferatur, arbitraria erit, quippe quæ ex ipsius Tridentini verbis, vel Historia minimè resultans. Nec enim sapientissimi Concilii mens fuit contrahentes Matrimonia contra laudatam ab Augustino Christianæ Religionis simplicitatem cæremoniis per qualificatos Testes onerare, sed unicè inconvenientibus obviam ire, quæ ex Clandestinis conjugiis nasci solebant. Istis autem apud Hæreticos sufficienter est cautum per præsentiam Testium, & Magistratus, aut Ministri. Neque dicitur, quod si hoc esset, etiam apud Catholicos Matrimonium absque Parocho in præsentia Magistratum, & Testium valeret Respondetur enim id circò apud Catholicos Matrimonium absque Parocho non valere, quoniam apud Catholicos usu receptum est Conciliare Decretum, & usus est optimus Legis Interpres quoad obligationem ejusdem, cum autem apud Hæreticos non sit usu receptum, hinc apud ipsos obligatio ejusdem Decreti nec in usu, nec in ratione fundatur.

Tertiò cessat quoque materia illius Decreti, quæ circa

circa illa sola Clandestina Matrimonia versabatur,  
quæ, utpote clam contracta, & occulta, de iis-  
dem, ut ibidem Concilium loquitur, *Ecclesia  
non judicat*, Matrimonia autem Hæreticorum hoc  
in sensu minimè Clandestina sunt, cum palam, &  
in aperto contrahantur.

Hisce positis, jam non unicum verificatur prin-  
cipium, quo solo attento Tridentini dispositio ex  
mente Theologorum, & eorum, qui de Jure  
naturæ, ac Gentium tractant, quoad Hæreticos  
limitari deberet, sed omnia tria limitandæ Legis  
Principia cum verificantur, omnino sequitur  
quoad ipsos Tridentini Decretum non esse exten-  
dendum.

Hoc insuper altera corroborat consideratio.  
Quemadmodum enim est Juris generalis regula,  
quod in generali concessione non veniunt ea, quæ  
quis non esset in specie verisimiliter concessurus,  
ita in generali prohibitione, vel præcepto non de-  
bent ea venire, quæ Princeps non esset in specie  
verisimiliter prohibiturus, vel præcepturus, ut  
arguit supralaudatus *Suarez num. 11.*, ubi pru-  
denter observat generalem illam præsumptionem,  
quod nemo in generali sermone comprehendat id,  
quod in specie esset nolitus, in jure fundatam  
esse, & in ratione naturali, quia, inquit: *Illa  
Præsumptio fundatur in defectu voluntatis, qua  
præsumitur ex incogititia talium circumstantiarum:* Atqui si Patribus Tridentini fuisset proposi-  
tum, an invalida vellent innumera conjugia in  
futura post ipsos Hæreticorum populatissima, &  
in Colonias quamplurimas in utriusque Indiis, &  
Africa diffusa Republicā, profecto pro ipsorum  
pruden-

prudentiâ, ne deglutirent supradicta absurdâ, id noluissent, quemadmodum hac ratione, ut mox dicemus, comprehendere Hæreticos sui temporis noluerunt, dicendum itaque est in suo generali decreto futuras Hæreticorum Republicas, communitatesque illis quoque in locis stabilitas, in quibus antea fortassis publicatum Concilium fuisset, non comprehendisse. Quod si nullas prostis excipiendis in suo Decreto apposuerunt particulas, id fuit *ex incogititia futuræ* post ipsos Reipublicæ, Communitatisque Hæreticorum in locis promulgati Concilii quo stante, cum eadem inconvenientia sequuntur in casu non cogitato, à quibus Legislator adhorrebat, si agitur de persona particulari, limitatur lex in *Doctrina Theologorum per Episkeiam*, si verò de Republica, vel Universitate per *Interpretationem* restringi debet.

Verùm ad ipsam Tridentini Historiam descendamus. Etenim si attentè percurratur Capitulum quartum libri 22. Historiæ Concilii à Cardinali Pallavicino conscriptæ, ex ipso num. XII. habetur noluisse Tridentinum infinitorum quasi Matrimoniorum ambiguum esse valorem, & idcirco Episcopi Almeriensis ponderato Voto ex Decreto verba illi sustinuisse *Testimoni digni de fide*, num. autem 25. voluisse, quod in Decreto pars utilis à noxia separaretur, insuperque quod ita extenderetur Decretum, ut maximum inconveniens à P. Lainez consideratum, infinitorum scilicet Adulteriorum perpetratio, & circa legitimas successiones confusio inter illos, che non ricevessero le Synodali Constituzioni, quales sunt Hæretici, de medio tollerentur. Jam verò si Tridentinum futuras

turas post ipsum Hæretorum Republicas, Communitatesque comprehendere voluisse, ambiguum reddidisset infinitorum quasi conjugiorum valorem, in Decreto pars utilis à noxia non fuisset separata, nec gravissimis inconvenientibus à P. Lainez consideratis medela fuisset apposita, dicendum est igitur quod, attenta Tridentini Historia, Decretum controversum Hæreticos, de quibus agimus, non comprehendisse.

Neque inverisimile esse dicatur, voluisse Concilium Hæreticos quasi in rebellionis præmium ab hujusce legis vinculo absolvere: Quoniam non in rebellionis præmium, neque in gratiam ipsorum id voluit; Etenim tam futuræ Hæretorum Republicæ, quam qui tunc erant hæretici, rebelles Ecclesiæ erant, eamdemque spernentes, ac irridentes, & tamen istos appositâ publicationis in Parochiis clausulâ certò apud ipsos non securâ voluit excipere, & hoc ne supradicta orientur gravissima incommoda: istis igitur pariter evitandis, & non in præmium hæresis futuras Hæretorum Communitates, si stemus ejusdem Historiæ, ligare noluit. Quod verum est, licet prædicta mala, & incommoda ex Hæretorum malitia oriuntur, quibus nihilominus condescendendum esse rationes illæ suadent, tum quia, ut scribebat Sallustius - *Frustra niti, & nihil aliud quam odium querere dementia est*, - tum quia si ipsis non indulgeatur, nullus alius fructus habetur, quam quod peiores evadunt, quo in casu suo ingenio cum venia relinquendos esse aperte Canones docent, inter quos cap. *quod dilectio de Consanguinitate, & cap. denique dist. 4. in quo dicitur -*

citum - *Qui à prava consuetudine averti non possunt, aliquando cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte peiores existant, si à tali consuetudine prohibeantur.* -

Quod si quis vellet replicare, tum Ecclesiæ Leges circa impedimenta dirimentia ob consanguinitatem, non obstante prava Hæreticorum consuetudine in contrarium, adhuc istos ligare: tum Concilium Tridentinum, quo tunc existentes Hæreticorum Republicas exciperet, clausulam de publicatione in Parochia apposuisse, quam Hæreticos fore omissuros certò credebat: Ex opposito igitur, ubi Hæretici essent in Parochia, in qua Decretum illud publicatum fuisset, mens Concilii erat istos suo Decreto obligare, cum, nemine refragante, oppositorum sit opposita ratio, & disciplina.

Ad primum respondendum est; dato quod assumentur, quod tamen magna cum cautela est admittendum, ne in gravissima incommoda impingamus, quæ hic recensere non est opus, adhuc nostrum casum diversissimum esse. Etenim impedimentum dirimens Consanguinitatis non afficit omnes aliqua in Republica contrahentes, cum non omnes, sed in modico numero sint contrahentes in qualibet Republica, qui inter se consanguinei sint: at in nostro casu Tridentini Decretum omnia Hæreticorum Matrimonia irritaret, quod est id, quod Patres Tridentini, ut ex Concilio Historia perspicuum est, noluerunt.

Ad secundum autem, omisso pro nunc, quod dubia sit, & incerta hæc Tridentini Publicatio in Parochiis Ordinum Fœderatorum, dicimus in nostro

nōstro casu oppositorum non oppositam, sed eamdem esse rationem, cum utrobius eadem gravissima oriuntur incommoda, sive sit publicatum, sive non sit publicatum Decretum Concilii. Quod si pro locis, ubi fortassis publicatum fuit, & postea à nova Hæretorum Republica occupatis, nullum remedium appositum à Patribus Tridentinis fuit, id, ut diximus, contigit ex hujus casus incogitantia, quem eosdem Patres comprehendeat voluisse in suo Decreto non est credendum, cum nullus Legislator ea absurdā voluisse credendus sit, à quibus eundem in sua lege condenda abhorruisse nos docet ejusdem Legis Historia.

Sed hac in re ipsius quoque Tridentini verba sunt expendenda, ex quibus ad solas Catholicas Regiones, non verò ad Hæretorum Dominia Decretum suum extendere voluisse videtur: Quoniam in eodem fit mentio de Missarum Solemnissimis, in quibus Publicationes fieri debeant: *de graviter puniendis arbitrio Ordinarii secus facientibus;* quod contrahentes diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistia Sacramentum prius accedant, quæ omnia quidem pro Catholicis Regionibus optimè quadrant, ac præscribuntur, pro hereticis verò, ut de se claram est, nullo modo. Tota igitur Tridentini Lege perspecta, quo non facta, ut dicitur in L. 24. digestis de Legibus, *incivile est judicare, vel respondere,* habemus ad Catholicas quidem Respublicas, Communitatesque, non verò ad Hæreticos, sive tunc existentes, sive futuras Conciliate Decretum, de quo agimus, fuisse directum.

Secunda ratio, quæ mihi non contemienda vis-

H detur,

detur, est; Quoniam etsi verissimum esse concedam Tridentinum Concilium in toto Belgio, mandante Philippo Secundo, à Gubernatrice Ducili Parmensi fuisse promulgatum, & fortassis etiam in multis quoque ejusdem Parochiis, tamen quod in majori parte Parochiarum Belgii publicatum fuerit nostrum Decretum, id quod ipsum Tridentinum requirit, ut in respectiva Parochia obligaret, consideranti mihi illorum temporum, illarumque Regionum Historiam persuaderi non potest. Etenim præter ea, quæ scribit Burgundus laudatus, tum in eruditissima Relatione Eminensissimi D. Cardinalis de Alsatia, tum in doctissimis Annotationibus Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Secretarii Concilii refert *Hugo Grotius Annalium de rebus Belgicis lib. 1.* non alios acrius in Belgio, quam Ecclesiasticos evulgationi Decretorum Concilii intercessisse, quod adeo verum est, ut in suo Edicto anni 1565., quod MS. veteri lingua, & Caractere Gallico reperitur, in uno ex Codicibus Miscellaneorum nostræ S. Crucis Bibliothecæ debuerit ipsa Belgii Gubernatrix Laicis Præsidibus, & Consiliariis Regis mandare, quod Ecclesiasticis invigilarent, an muneri suo circa Tridentinum satisfacerent. Ipsi vero Provinciarum Præsides apud Jo. Isacum Pontanum Historiæ Gelticæ lib. 14. questi plerique sint, ac palam professi continendis ea severitate subditis haud parer se esse. Quin Gabriel Chappuys in Historia Generali Belli Belgici lib. 1. ad an. 1566. narrat quod urgente Gubernatrice executionem Edicti Regii circa Inquisitionem, & Tridentinum Primaria Nobilitas confederata, & unita se oppo-

suit

suit, plures Civitates fuerunt contumaces, ipsa mirante, nec se tutam arbitrante Gubernatrice, quæ Edicta moderari debuerit, ex quo rebelles animosiores facti Regia impedirent Edicta, ipsis, qui se opponere poterant, quiescentibus. Quo in rerum statu non video, quomodo in majori parte Parochiarum Belgii controversum Tridentini Decretum publicatum fuerit, reluctante nobilitate, potentioribus se opponentibus, Civitatibus per contumaciam resistentibus, ipsisque Ecclesiasticis, quorum munus erat Decretum in Parochiis publicare, acrius ipsi Tridentino intercedentibus.

Stante autem quod major Belgii pars Decretis Tridentini restiterit, & Publicatio in majori parte Parochiarum Hollandiæ, & Fœderatorum Ordinum impedita, vel ab ipsis Ecclesiasticis neglecta fuerit, insuperque ignoretur, quibus in Parochiis tale Decretum publicatum fuerit, jam clare non constat in respectivis Parochiis dictorum Ordinum de Publicatione dicti Decreti; Atqui, cum clare non constat de publicatione Decreti Tridentini in aliqua Parochia, standum est pro validitate Matrimoniorum, quæ in eadem Parochia absque forma Concilii contracta fuerint, & hoc ex mente ipsius Sacrae Congregationis Concilii, cuius Decreta laudat Illustrissimus D. Secretarius Concilii num. 54. Standum igitur etit etiam in nostro casu pro Matrimoniorum, de quibus in præsenti agimus, validitate, cum in eodem minimè constet, ubi Concilium fuerit, vel non fuerit in Parochiis publicatum.

Tertia ratio desumitur ex consuetudine apud

H 2

Hære-

Hæreticos celebrandi sua Matrimonia, non servata formâ à Concilio præscriptâ. Consuetudinem autem Legem etiam Ecclesiasticam abrogare Theologis certum est, dummodò hæc tria concurrant nempe quod sit rationabilis, quod adsit scientia Papæ cum ejusdem consensu saltem implicito, & quod debito temporis cursu legitimè præscripta fuerit, quæ omnia in nostro casu concurrere facile persuadetur.

Et in primis quod contrarius Hæreticorum usus de non servanda Concilii forma rationabilis dici possit, id ostendit, quoniam, ut de se constat, non est contrarius juri naturali, vel Divino, quod, ut sit rationabilis, in Canonistarum sententia sufficit; Deinde supposita hæresi Parochos Catholicos, & Tridentini Decreta rejiciente est insuper rationabilis dicta Consuetudo, quia per eamdem suorum Matrimoniorum validitati, sua prolis legitimitati consulunt, & Controversiis de successione in hæreditatibus obviam eunt. Et quamvis ipsa hæresis suppositio sit revera irrationabilis, non tamen quidquid ex eadem consequitur, tale est. Quoniam, mala voluntate supposita, nihilominus postulat naturalis ratio, quod minus malum eligatur, minus autem malum est abrogare in sua Republica aliquam Legem per actus utcumque à principio malos, quam velle in eadem non solum hæresim, verum etiam perpetua adulterina conjugia. Hoc igitur attento rationabilis esse potest dicta Hæreticorum consuetudo, quam etsi daremus malam per respectum ad hæresim, ex qua procedit, non tamen mala dici potest sub respectibus vitandi adulterina conjugia, aliisque

aliisque supra relatis inconvenientibus devitandi.  
Quod verò circa talem consuetudinem adsit Pa-  
pæ scientia, ostendunt ea, quæ Apostolicæ Sedis  
repræsentata fuerunt tum anno 1671. ab Episco-  
po Castoriensi, & anno 1711. à Theodoro de  
Koch in Belgio Fœderato olim Provicario, à qui-  
bus praxis Hollandorum, cæterorumque Ordi-  
num Fœderatorum circa Matrimonia celebranda  
Tridentini forma non servata in medium produ-  
cta fuit. Cui praxi, quod ejusdem Papæ impli-  
citus consensus accesserit, plura demonstrant, &  
in primis ejusdem consensus Legalis, qui in Cor-  
poræ Ecclesiastici Juris exprimitur cap. ult. de Con-  
suetudine: Deinde quoniam dictis annis talis pra-  
xis ad notitiam S. Sedis deducta non fuit ab eadem  
S. Sede prohibita, neque Missionariis, Vicariis-  
que Apostolicis præscriptum fuit, quod habere-  
tur pro invalida, & nulla, & consequenter tole-  
rata fuit, hoc autem ipso ex S. Thomæ doctrina  
fuit quoque approbata, qui prima secundæ quest.  
97. art. 3. ad tertium, sic scribit; ipsa consuetudo  
in tali multitudine prævalens in tantum obtinet  
vim Legis, in quantum per eos toleratur, ad quos  
pertinet multitudini Legem imponere, ex hoc  
enim ipso videntur approbare quod consuetudo in-  
troduxit -- Postremò quia cum Papa scit praxim  
contra aliquam legem, scit ex lege gravissima ori-  
ri incommoda tum Populis Legi refragantibus,  
tum Catholicæ Religioni, & Missionariis, nec  
ullam ex Legis observatione Catholicæ Fidei inter  
illos Populos utilitatem oriri, ut in nostro casu  
contingit, tunc si non daret assensum in talis Le-  
gis pro dictis Populis abrogationem, impruden-

ter se gereret: cum autem non sit præsumendum Pontificem imprudenter se gerere, hinc præsumendum est in abrogationem talis Legis implicitè consentire, maximè postquam ipse tacet, & tolerat, nec eamdem praxim suis Apostolicis Vicariis ut nullam, invalidamque declarat, à quibus absque ullo contemptu, vel irrisione audiretur. Neque contra hunc tacitum Papæ consensum afferri possunt Decreta Sacrarum Congregationum in contrarium, quoniam, præter ea quæ intra de his Decretis dicemus, nullum contra hanc praxim post annum 1671., quo ab Episcopo Castoriensi in S. Sedis notitiam deducta fuit, nullum inquam Decretum factum fuit.

Tandem quod consuetudo, de qua loquimur, legitimo cursu temporis præscripta fuerit, claram esse videtur, nam legitimus temporis cursus per Theologos, & Canonistas ad consuetudinem contra Legem Ecclesiasticam stabiliendam est quadragenarius, in nostro autem casu dicta consuetudo ab anno 1671. usque in præsens est plusquam quadragenaria, quo temporis intervallo nullum contra eamdem Apostolicæ Sedis, vel Sacrarum Congregationum Decretum prodiit, quo dictus quadragenarius legitimus cursus interrumperetur: Dicere autem, quod nec per mille annos possint Hæretici contra Legem Ecclesiasticam præscribere, valde durum esse videtur. Quoniam Hæretici subditi sunt Ecclesiæ, ac Pontifici, & quilibet subditus contra Leges sui Superioris, hoc vel implicitè, vel explicitè consentiente, præscribere valet.

**Scio contra hanc consuetudinem ab Auctoribus**  
con-

contrariae opinionis communiter objici, tum quod eum proveniat ab infecta hæresis radice omni virtute Legis enervandæ destitui: tum quod Pontificum, & Conciliorum Leges. cum sint à Potestate habita non à Populo, sed immediate à Deo, idcirco non possint per non acceptationem; aut per usum contrarium abrogari.

Verum ad primum dicendum est, quod omnis consuetudo abrogativa Legis ex infecta semper radice provenit, nempe ab actibus illicitis inobseruantia Legis, quamobrem Rei, & obnoxii quidem delicto semper sunt primi, qui per usum Legi contrarium consuetudinem adversus Legem introducunt, non verò alii, qui, consuetudine introducta, operantur, quo sensu in suo Communitorio Vincentius Lirinensis scribebat - *Absolvuntur Discipuli, condemnantur Magistri* --

Ad secundum autem Passerini doctrina repnenda est, qui tom. 2. de Hominum statibus quest. 187. art. 1. num. 429. scribit, quod - *Quamvis absolute loquendo Bullæ Pontificum (quod idem est de Conciliorum Decretis) ad hoc ut obligent, non indigent receptione subditorum, cum proveniant ab Auctoritate Suprema à Christo Domino data Papæ, nihilominus admitti debet doctrina communis, quod scilicet per contrarium usum, & scientiâ Papæ per cursum temporis abrogari valeant, ut dixit Card. in Proemio Clem. n. 7.*

Omitto illam rationem, quæ in S. Thomæ doctrinâ pluribus locis, & præsertim prim. 2. quest. 96. art. 6. in Corpore articuli fundatur, quod videlicet Lex, quæ nullum bonum, nec communionem alicujus Populi salutem promovet, quæ nullum

Ium malum ab aliqua Republica avertit, quin potius malum in eadem causat, virtutem obligandi non habet, cum tunc tali Legi ea, quæ de essentia sunt Legis, deficiant respectu ejusdem Reipublicæ, talis autem, ut rectè rem poneant, apud Hæreticos Ordinum Fœderatorum in Belgio esset Lex Tridentini, de qua agimus, quæ quam noxia ibidem esset non solum Hæreticis, verum etiam Catholicis, Catholicæque Religioni docet *Van Espen.* par. 2. Universi juris Canonicitatis. 12. num. 33. Restat ergo quod Lex ista eodem obligandi virtutem non habeat. Et quamvis mala ista ex Hæreticorum malitia oriuntur, adhuc virtutem obligandi minimè haberet, quoniam tunc, etsi per accidens, homines illius Reipublicæ pejores perseveranter faceret, & contra essentiam Legis est homines perseveranter pejores facere, quam obrem tunc cessat à ratione Legis, id quod etiam innuitur in supra laudato Canone *Denique distinctionis quartæ.*

Hac tamen ratione omissa, postrema ratio est, quoniam est certò probabile hujusmodi controversa Matrimonia esse valida. Et quidem intrinsecam probabilitatem rationes hucusque allatae satis perspicue ostendunt. Extrinsecam autem probabilitatem demonstrant non solum Authores, quos in suis Adnotationibus laudat Illustrissimus Dominus S. Congregationis Concilii Secretarius, quos num. 54. ad quinque & viginti ascendere fatetur: verum etiam quæ scribit supra laudatus *Van Espen.* num. 32. quod scilicet in Gallia, & Germania, ac in Provinciis confœderatis à sexaginta & decem amplius annis hoc communiter fuisse receptum, atque

atque toto quasi Orbe spectante pro validis hujusmodi Matrimonia reputata fuisse. His accedit Ecclesiæ Gallicanæ praxis, de qua ibidem num. 37. idem Van Espen testatur, sicut & omnium quæ Populorum vox, & consensus qui minimè contumendus est, cum vox Populi vox Dei communiparemiâ dicatur, qui omnes Hollandiæ Hæreticos pro legitimis habent. Quibus addi fortassis posset ipsa Apostolicæ Sedis Auctoritas, qui hujuscemodi Hæreticos abjurantes titulo illegitimitatis à Sacris Ordinibus minimè rejicit, nec eosdem unquam vivente uxore, quam in hæresi haberunt, ad alia Vota Matrimonialia transire indulxit, nec eosdem, uxore eadem vivente, ad Sacros Ordines promoveri permisit, quæ omnia ostendunt Apostolicam Sedem ad minus ut certò probabilem dictorum Matrimoniorum valorem admittere.

Neque contra probabilitatem istam plura S. Congregationis Concilii Decreta, quibus Matrimonia hujusmodi invalida declarari videntur, affitantur. Quoniam iteratæ istæ S. Congregationis Concilij resolutiones non possunt improbabilem reddere sententiam nostram, quæ generatim, & universaliter de istorum Matrimoniorum valore procedit, quæ de re nihil unquam generaliter, & universaliter Apostolica Sedes decrevit, testibus omni exceptione majoribus, ipsa videlicet S. Congregatione de Propaganda in suo Rescripto 29. Febr. anni 1704., & S. Congregatione S. Officii in suo Rescripto coram San. Mem. Clemente XI. 19. Novembris 1711., quæ Rescripta in folio ab Illustrissimo D. Assessore communicato recensentur.

H §

Omnes

Omnis itaque resolutiones S. Congregationis Concilii, quæ in medium proferri possunt, vel pro casibus particularibus juxta allegata procedunt, vel supposita Oratorum expositione quod Concilii Decretum ritè fuerit promulgatum, ac usu receptum, nunquam verò generatim factæ fuerunt, in Hypothesi consuetudinis in contrarium, dubiæ promulgationis Decreti, & dubii an Tridentinum Decretum ad Hæreticorum Communitates extendatur. Quin in simili dubio Sacram Congregationem Concilii pro consimilium Matrimoniorum validitate stetisse ex variis ejusdem Congregationis resolutionibus constat, præsertim in una Polonia 13. Novembr. an. 1638. An autem hisce in casibus licita sint hujusmodi Matrimonia, non est præsentis instituti examinare, in quo tantum de valore tractatur.

Certa itaque probabilitate Matrimonia hujusmodi sunt valida quo stabilito, & concessio iudicandum absolutè esse pro eorumdem valore mihi perspicuum esse videtur. Quoniam causa Matrimonialis, saltim ubi agitur de Matrimonii vinculo dirimendo, quod Jure naturali, & Divino indissolubile est, est causa gravissima, & Criminibus æquiparatur secundum omnes Doctores, & Rotam apud Farinaccum Decis. Crimin. 94. num. 6. tom. 2., neque enim cum alterius præjudicio debemus nos periculo exponere separandi, quos Deus fortassis conjunxit. Ex quo sequitur, quod ad invalidum declarandum Matrimonium probationes debeant esse concludentes, & luce meridiana clariores: Atqui cum pro validitate Matrimonii certa probabilitas adest, probationes, quæ

pro

pro invaliditate afferuntur, concludentes esse non possunt, neque luce meridiana clariores, alias omnis opposita probabilitas evanesceret, hinc sequitur, quod pro hujuscemodi Matrimoniorum valore sit respondendum.

Hoc ipsum pluribus roboratur, quæ affert Cardenas in *Crisi Theologica Dissert. 2. cap. 8. art. 3.* & sequentibus, tum quia Causa Matrimonialis cap. Finali de sententiâ & re judicata est innegabiliter favorabilis, adeoque validitati matrimonii favendum est: tum etiam quia in dubio pro valore actus est præsumendum, quod in Axioma apud Jurisperitos transiit; Et postremò quoniam hanc esse Rotæ Romanæ praxim idem Cardenas laudatis ejusdem Sacræ Rotæ decisionibus testatur. Quin hanc esse Ecclesiæ mentem scribit P. Vivian par. 2. prop. 1. num. 29. inquiens -- *Rationabiliter Ecclesia vult favere Matrimonio reddendo illud validum, quoties juxta probabiles opiniones contrahatur.* - Et ipsi quoque contrahentes, attenta qualitate contractus de jure naturæ indissolubilis, omni dissolutioni, quæ ex probabilitate sententiæ valori oppositæ oriiri posset, renuntiare censentur.

Quoniam tamen hac in gravissima materia nihil est dissimulandum contra hoc postremum argumentum, quod reflexum Scholastici vocant, tria objici possuat. Primò quod respondit Gregorius XIII. apud Vivam in propositionem 16. Alexandri VII. num. 7. quod scilicet, *In re dubia tutius est adhærere Decreto Tridentini.* Secundò, quod ex cap. 12. de homicidiis, & cap. 5. de Clerico excommunicato, *in dubiis semitam debemus eligere tutiorem,* & cap. 3. de sponsalibus exorto dubio de cuiusdam

Matri-

matrimonii valore Conjuges separandos Pontifex ea ratione decrevit, quia in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus. Tertiò quod variis Authoribus laudatis docet Ursaya in dissertazione Theologico-legali de Matrimonio Clandestino §. 6. num. 19. *Favorabilitatem*, ut inquit, *Matrimoniorum limitari in Clandestinitate eorumdem, quæ operatur, ut in dubio contra Clandestina Matrimonia, & punibili modo contracta respondendum sit.*

Nihilominus ad primùm dicimus, nihil mirum esse, quod sic responderit Gregorius XIII. quia non agebatur de re, in qua periculum esset ius naturale, ac divinum violandi, & ex qua gravissima sequerentur incommoda, sed quod Episcopi non possent in aliena Diœcesi insuum Confessarium eligere Sacerdotem non approbatum, ex quo nullum periculum, nullumque inconveniens oriri clarum est: Oppositum ex sâpe repetitis in nostro casu contingit, in quo idcirco prudentissimè S. M. Clemens XI. non respondit id, quod responderat Gregorius XIII. sed in supralaudato Decreto Congregationis S. Officii 19. Novembbris 1711. tantum edixit, quod Missionarii prudenter, & juxta probatos Authores se gererent.

Ad secundūm desumptum ex illis Regulis Juris dicendum est, allatas Regulas nostræ potius favere sententiæ, quoniam in nostro casu tutius, & certius esse videtur pro istorum Matrimoniorum valore decernere, ne separemus, quos Deus fortassis conjunxit, & solvamus, quod de Jure naturæ, & Divino indissolubile est, tutiusque est hoc in rerum anfractu in Legem Ecclesiasticam, quam in jus naturale,

tutale, & Divinum cum injuria, & damno contra-hentium & Religionis impingere.

Ad postremum responsio in promptu est, quia Authores, quos laudat Ursaya, loquuntur de Matrimoniis inter Catholicos in regionibus Catholicorum contractis, in quibus absque controversia Concilii Tridentini decretum rite promulgatum, & usu receptum est, ac condentibus inter se partibus de Validitate consensus, quibus in casibus non debemus profecto ita protinus pronuntiare, ut invitati, & reluctantibus conjungantur, sed debitae diligentiae pro inquirenda veritate facienda sunt. Ceterum hisce adhibitis, si res adhuc dubia remaneret, secundum eorumdem Jurisperitorum principia in ipsis quoque Clandestini Matrimoniis standum esset pro valore contractus: Cum itaque noster causus sit diversissimus, & re attentè perpensa probabilis remaneat Matrimoniorum, de quibus controvexit, valor, hinc omnino pro isto resolvendum esse videtur.

Non immoror aliis difficultatibus, quæ contra valorem istorum Matrimoniorum fieri vel solent, vel possunt, quoniam omnes ex dictis facilè solvuntur, & quæ majoris momenti sunt occasione in supra allatis rationibus data, in medium produxi, & solui. Hoc solum addo, quod quamvis, salvo meliorum judicio, valida esse existimem Matrimonia, de quibus agitur, nihilominus tamen omnibus omnino scrupulis prorsus evellendis Pontificiam Declarationem de ipsorum valore expedire opinor eo modo faciendam, quo in ultimi dubii resolutione dicendum erit.

*F. Joachim Besozzi Abbas S. Crucis in  
Jerus. S. I. G. Consultor.*

Validitatis Matrimoniorum Hollandiæ.

**A**D Secundum Dubium respondendum ten-  
serem Affirmative. Idque in primis, quo-  
niā ut ostendi in resolutione primi dubij,  
Controversum Tridentini Decretum non est ex-  
tendendum ad Hæreticorum Communitates, cum  
autem Legiones istæ sint Hæreticorum Communi-  
tates, suos Duces, suos Judices, suos Ministros Hæ-  
reticos habentes, suasque insuper Patrias Leges ob-  
servantes, hinc ad ipsas non est extendendum Tri-  
dentini Decretum, ex quo unicè similiū Matri-  
moniorum nullitas dependeret. Quamobrem recte  
docuisse opinor P. *La Croix* lib. 6. par. 3. num. 753.  
quod Legiones Hollandicæ extra Hollandiam cen-  
seantur gaudere eodem jure vel dissimulatione Ec-  
clesiæ, quo in Hollandia gaudent, quia, ut inquit,  
etiam censeri possunt veluti Parochiæ cum suo  
pseudo Parocco ambulantes : Cum autem in Hol-  
landia, ut ostendi ad primum dubium, Milites Le-  
gionum istarum validè contrahant sua Matrimonia,  
idem & extra Hollandiam dicendum esse videtur.  
Quod confirmari potest ex eo, quoniam qui casu  
absunt, non dicuntur abesse secundum Bartoli do-  
ctrinam apud *Sanchez* lib. 3. disp. 18. qu. 2. num.  
7. cum autem Legiones istæ casu ab Hollandia, cœ-  
terisque Provinciis unitis adsint, hinc ab iisdem  
Provinciis non censentur abesse, atqui ut ostendi-  
mus in Hollandia, & Provinciis unitis validè con-  
traherent, idem igitur dicendum & in Præsidiis, in  
quibus casu reperiuntur.

Scio contra hanc resolutionem duo peculiaria  
argumenta, & quidem solida, nec contemnenda  
objici posse. Primum, quod singulare sit in contra-  
ctibus,

etibus, quod contrahentes teneantur stare Legibus dantibus solemnitatem contractibus juxta stylum loci, in quo contrahunt, quæ propositio communiter admittitur ab omnibus ferè Theologis, ac Jurisperitis, & fundatur in Cap. Finali de Foro competenti, atque in L. si Fundus ff. de Evictionibus, extenditurque ad Advenas quoque, ac Peregrinos, qui si in loco, in quo casu & per accidens reperiuntur, Contractum aliquem ineant, tamquam subditi Temporarii Legibus illius loci subjiciuntur: Atqui Milites istarum Legionum contrahunt in loco, ubi certò receptum est, & publicatum Tridentinum, ergo quoad Matrimonialem quoque contractum Tridentini Legibus subjiciuntur. Secundum argumentum est Sacrae Congregationis Concilii recens resolutio in casu specifico Legionum Hæreticorum commorantium ubi Tridentinum est publicatum, quæ legitur apud Sciarra in Additamento ad Theologiam Bellicam cap. 6. num. 16. ubi inter varia dubia Sacrae Congregationis Concilii proposita, eidem à Congregatione S. Officii remissa, & resoluta die 6. Martii anni 1694. Sextum dubium fuit: An milites Acatholici cum Achatholicis mulieribus contrahentes teneantur servare formam præscriptam à Concilio Tridentino: Cui dubio ad Sextum, responsum fuit: Affirmative, in locis, ubi publicatum fuit Concilium, juxta Decretum S. Congregationis 26. Septembris 1602, ad Tertium dubium, approbante S. M. Clemente VIII.

Respondeo tamen ad primum, teneri quidem contrahentes servare solemnitates in Contractu, ad hoc ut validè contrahant, juxta leges, & consuetudines

dines loci, in quo contrahunt, si tales Leges, consuetudinesque generales sint, & comprehendant omnes, ac quoscumque contrahentes, secus si sunt speciales pro tali tantum hominum genere: cum autem, ut ex dictis pro resolutione primi dubii, Tridentini Decretum non fuerit generale pro omnibus Christianis, sed speciale pro Catholicis tantum, non autem pro Hæreticis Communitatibus, hinc consequitur illos, qui de Communitate hæretica sunt, ubicumque ista reperiatur, Tridentini Decreto, ut potè pro ipsis minimè lato, ubicumque sint, non teneri. Quod exemplificari potest in Legibus circa Ritus, & Liturgiam pro Latinis Ecclesiasticis latis, quæ Græcos minimè ligant, etiamsi isti in locis Latinorum reperiantur. Quin et si pro Hæreticis quoque controversum Tridentini Decretum latum fuisset, eidem legitima consuetudine fuisse derogatum ex dictis ad primum dubium ostensum est.

Ad secundum dico, quod allatum S. Congregationis Concilii Decretum, sicuti & alia consimilia, quæ afferri possunt, facta fuerunt, attentis unicè recurrentium precibus, & iis quæ in istis allegabantur, non verò expenso, an Tridentini Decretum ad præsentium Hæreticorum Communitates extendatur, sicuti nec expensa Hypothesi consuetudinis in contrarium: Quamobrem eadem Sacra Congregatio de persistentia, & perseverantia in consimilibus Decretis dubitavit, & quidem merito, cum non sint Definitiones ex Cathedra, & idcirco novum de hac materia demandavit examen, quod non fecisset, si in Decretis perseverare voluisset, cum tunc satius su-

perque

perque fuisset eidem S. Congregationi in casu præsentium dubiorum respondere: Communicentur Decreta jam edita; Cum autem re nunc examinata ostensum fuerit Tridentini Decretum ad Hæreticorum Communidades minimè extendi, quod et si extenderetur, per consuetudinem in contrarium fuisse abrogatum, quin & fuisse abrogatum hoc ultimum S. Congregationis decretum, quod laudatur legitimo temporis cursu plusquam quadragenario, cæterisque ad legitimam consuetudinem, ut ex dictis ad primum dubium, concurrentibus, hinc consequitur, quod non obstante laudato S. Congregationis Concilii Decreto, pro validitate Matrimoniorum, de quibus in secundo dubio quæritur, standum esse videatur.

Ad tertium, & quartum censerem respondendum, ut ad secundum ex iisdem momentis proportione servata, iisque expensis, quæ pro resolutione primi dubii ponderabam, videlicet quod verba Decreti Concilii Tridentini ad Catholicos, non verò ad Hæreticos dirigi videntur.

Ad quintum, sextum, & septimum distingendum esse censerem: Vel enim in locis, ubi celebrantur dicta Matrimonia, habetur Parochus Catholicus, vel Missionarius vice Parochi fungens, vel non habetur: si primum invalida censerem, si verò secundum valida esse existimarem. Ad primam resolutionis partem sequenti ratione mo-  
veor, quoniam ut sit simpliciter, & absolutè va-  
lidus contractus Matrimonialis, debet esse vali-  
dus ex parte utriusque contrahentium, contra-  
ctus enim Matrimonialis est contractus mutuus,  
& in hoc genere contractuum ad Validitatem eo-

I  
rumdem

rumdem intervenire debent essentialia ex parte utriusque, ut de se est perspicuum: cum autem respectu partis Catholicæ in casu præsentium dubiorum validus esse non possit ob defectum proprii Parochi, quem ipsa habet, & adhibere tenetur, erit igitur simpliciter, & absolute invalidus in nostro casu contractus Matrimonialis, adeoque invalida Matrimonia, de quibus agitur, censenda sunt.

Quod pars Catholicæ proprium Parochum habeat in præsenti suppositione, clarum esse videtur, quoniam vel ibi eadem habet domicilium, ubi Parochus Catholicus, vel Missionarius vice Parochi fungens reperitur, & tunc istum esse Parochum proprium partis Catholicæ certum est ex cap. ultimo de Parochis, in quo decernitur, ex *Domicilio unumquemque sortiri Parochum*: vel ibidem domicilium non habet, & tunc ibidem Vaga; & Peregrina censenda est; Vagi autem & Peregrini, ne sint Oves absque Pastore, habent pro proprio Parocho Parochum loci, in quo vagantur, coram quo juxta notam Tridentini doctrinam validè contrahunt. Proprium igitur Parochum in nostro casu Pars Catholicæ habet.

Quod verò pars Catholicæ eundem Parochum adhibere teneatur, ut validè contractum Matrimoniale ineat, plura suadent, & primo, quod pro eadem non militant rationes, ob quas probavimus Decretum Tridentini ad Hæreticos, Communidades, hominesque minimè extendi: Secundo, quia Ecclesia, & Romani Pontifices semper detestati fuerunt Matrimonia inter partem Catholicam, & Hæreticam, quamobrem non est præsumen-

Lumenadus eorumdem consensus, sive licentia, & dissimulatio, in id quod hujusmodi Matrimonia facilitaret, videlicet quod pars Catholicæ cum Hæretica sine solemnitate à Tridentino præscripta Matrimonium contrahat. Tertio quia in Hollandia, & Provinciis unitis, ubi reperitur Parochus Catholicus, vel Missionarius vice Parochi fungens, ibi respectu Communitatis Catholicæ præsumendum est fuisse publicatum Tridentini Decretum, ubi autem Tridentini Decretum præsumitur publicatum, & quidem præsumptione in Jure, & Lege fundata quoad aliquam Communitatem, & Parochiam, si isti absque Tridentini solemnitate Matrimonium contrahant, nulliter contrahunt, certum est.

Sola difficultas est, an Tridentini Decretum præsumendum sit publicatum in Hollandia, & Provinciis unitis quoad Catholicas Communitates in locis, ubi reperitur Parochus, vel Missionarius Catholicus, & quidem præsumptione in Jure, vel lege fundata. Qua in re partem affirmativam persuaderet, quoniam Catholicæ in iisdem Provinciis, ubi reperitur Parochus, vel Missionarius Catholicus, contrahere Matrimonia solent coram eodem Parocho, vel Missionario, & testibus juxta præscriptum Tridentini Concilii, eo autem ipso præsumendum est apud eosdem ibidem commorantes Catholicos Tridentini Decretum fuisse promulgatum, & quidem præsumptione fundata in Jure, vel Lege, quoniam habemus Decretum S. Congregationis Concilii in una Indianorum Orientalium die 30. Martii 1669. ita decernens - Præsumendum autem esse, quod fuerit

hoc modo publicatum, si de tempore, vel praesenti, vel præterito extet memoria, quod Matrimonia contrahi soleant coram Parocho, aut Missionario, & testibus tamquam ex præscripto ejusdem Concilii. -

Neque mihi objiciatur, quod in resolutione primi dubii inter alia existimabam, videlicet non constare in Hollandia, & Provinciis unitis, ubi ritè promulgatum, ac receptum Tridentinum fuerit. Quoniam in eodem sensu constans sum quoad **Communitates**, & Parochias Hæreticorum, nego verò quoad **Communitates**, & Parochias Catholicorum, postquam observantiam nostri Decreti Vicarii Apostolici urgere non cessarunt, & illud ipsum Decretum in usu apud Catholicos fuit receptum.

Doctrinæ huc usque allatæ inniti, & eamdem confirmari opinor per Decretum S. Congregacionis S. Officii die 15. Maii anni 1720., quod refertur ultimo loco in Foliis ab Illustrissimo D. Professore S. O. communicatis, in quo ab Eminentissimis Patribus, audita unanimi DD. Consultorum sententia, nullum fuit declaratum Matrimonium cuiusdam Itali, qui in Belgio confederato Matrimonium cum Acatholica coram Ministro Hæretico bona fide contraxerat, nullum, inquam, fuit declaratum ea ratione, *ut non contractum coram proprio Parocho*. Proprius autem Parochus hujus Itali in Belgio Fœderato tunc commorantis alius esse non poterat, quam Parochus, vel Missionarius Catholicus, qui ibidem tunc fortassis haberi poterat.

*Sin autem in locis, ubi celebrantur Matrimonia,*

nia  
bio  
Mil  
ead  
trin  
Car  
qua  
tiar  
Ma  
pri  
D.  
tini  
nec  
eju  
erg  
cum  
qu  
no  
roc  
di  
qui  
fir  
tho  
dic  
cer  
tan  
ta,  
co  
qu  
Pa  
ju

nia, de quibus in quinto, sexto, & septimo du-  
bio agitur, non adsit Parochus Catholicus, vel  
Missionarius vice Parochi fungens, sed utroque  
eadem loca destituta sint, tunc controversa Ma-  
trimonia fore valida ostenditur ex nota Epistola  
Cardinalis Bellarmini Octavio Nuntio Apostolico,  
quae habetur apud Sylvium supplemento in ter-  
tiam partem quæst. 45. art. 5. in qua legitur - De  
Matrimoniis contractis, ubi nulli jam sunt pro-  
prii Pastores, jam olim actum fuit cum Sanctissimo  
D. N., & cum Congregatione Concilii Tridentini,  
ac sententia communis fuit illa esse rata,  
nec ad ea pertinere Decretum Concilii, cum in  
eiusmodi locis observari non possit, non video  
ergo, cur ea Matrimonia non debeant tolerari,  
*cum satis constet* Concilii Tridentini Decretum,  
quod jubet Matrimonium fieri coram Parocho,  
non se extendere ad ea loca, ubi nulli sunt Pa-  
rochi. -

Ad octavum Respondeo negativè, idque ex  
dictis ad quintum.

Ad nonum Respondeo, quod eadem ratione,  
quam ad antecedentia dubia attuli, invalida exi-  
stimo talia Matrimonia. Quoniam etsi pars Ca-  
tholica Legionibus Fœderatorum Ordinum sit ad-  
dicta, fit quidem, quod quoad effectus Civiles  
censeatur de communitate talium Legionum, non  
tamen quoad Ecclesiasticos, & quoad Sacramen-  
ta, in quibus nulla communicatio inter Catholi-  
cos, & Hæreticos intervenire debet: Maximè  
quod in nostro casu Pars Catholica habet proprium  
Parochum Catholicum, illum videlicet, in cu-  
jus Parochia sunt stativa, in quibus commoratur:

quemadmodum Milites nostri Catholici , nisi speciali Pontificis privilegio sint exempti , censentur habere pro proprio Parocho illum , in cuius Parochia sunt Stativa , quæ inhabitant . Cum igitur Pars Catholica proprium habeat Parochum , & contrahat in loco , ubi Tridentinum est publicatum , hinc consequens omnino est , quod si absque Concilii Solemnitate Matrimonium contrahat , nulliter contrahat .

Ad decimum ut ad nonum immediatè prædens .

Ad undecimum Loquendo de Matrimonio , quæ in Civitate Mosæ Trajectensis ab Hæreticis inter se contrahuntur , hæc valida esse censerem ob dicta ad primum , secundum , tertium , & quartum Dubium : Loquendo autem de Matrimonio , in quibus Pars Catholica contrahit , invalida existimarem ob dicta ad quintum , & sequentia Dubia .

Ad Duodecimum quoad primam partem consulendum esse Sanctissimo pro opportuna declaratione censerem ; Quoniam cum dubia ista Episcoporum , Missionariorum , ac Fidelium mentes jam à multo tempore torqueant , anxiique , & ignari sint , quo tutò se vertant , hinc Magisterii Pontificii est eadem solvere , & sic Fidelium conscientias , Episcoporum , & Missionariorum mentes quietas reddere ; ne de Sancta Sede illa fiat querela : *Parvuli petierunt Panem , & non est qui porrigit eis.* Hocque muneris Pontificii , & quidem debiti est , ut apertè simili in materia exorti dubii ex intelligentia Concilii Tridentini S . Pius V. professus est in declaratione dubij circa impe-

impedimenta Cognitionis Spiritualis in Matrimonio, quæ habetur in Septimo Decretalium lib. 4. Tit. 2. cap. 3. ubi dicit-Officii nostri debitam prosequimur actionem, si obscuros Sacrorum Canum sensus ita aperire studemus, ut piis Christi-Fidelium mentibus nulla dubitandi occasio relinatur. Quamvis autem S. Officii Congregatio anno 1671. responderit non convenire, quod hæc quaestio S. O. definiretur, id fortasse fuit, quia hæc resolutionis propriè non ad S. O., sed ad S. Congregationem Concilii pertinebat, vel quia nondum consuetudo, praxisque inoleverat, quod valida hujusmodi Matrimonia censerentur, vel postremò quia nondum replicatis precibus Catholici Belgii Episcopi anxietates, scrupulosque suos hæc in materia pro opportuno remedio S. Sedis operuerant, quamobrem saluberrimam modò declarationem opinor, qua inextricabiles anfractus, ambagesque circa similia Matrimonia præcidantur, eamdemque expedire jam olim Estius, & Pontius Auctores Catholici non contemnendi censuerunt.

Quin si mentes Eminentissimorum Patrum in eam partem inclinarent, quæ sentit invalida esse Hæreticorum Matrimonia, de quibus in primo, secundo, tertio, & quarto dubio agitur, nihilominus consulendum esse Sanctissimo censerem, quod istorum Matrimoniorum validitati imposterum, futurisque temporibus provideret. Idque primo, quoniam hac ratione multis, innumerisque adulterinis conjugiis, multisque conscientiarum anxietatibus, & circa legitimas Hæreditates dubietatibus remedium opportunum exhiberet, quæ fuit quoque ut in dictis ad primum dubium, prudenter tissima.

tissima, Charitateque plenissima mens Tridentini Concilii. Secundò, quia cum apud Hæreticos in consuetudine sint Matrimonia absque forma à Tridentino præscripta, semperque & jugitur absque ulla spe resipiscientiæ in eadem consuetudine perseveraturi existimantur, hinc pro iisdem Tridentini Decretum inutile esse videtur secundum S. Thomæ doctrinam prim. 2. quest. 97. art. 3. ad 2. scribentis -- cum tales actus multiplicantur (loquitur de actibus contra Legem, ) propter aliquam mutationem hominum, tunc manifestatur per consuetudinem, quod Lex ulterius non est utilis -- Quando autem Lex pro aliquo hominum cætu utilis non est, tunc ista pro eodem de medio est tollenda, cum ipsi tunc non expediatur. Quamobrem idem S. Thomas loco laudato art. primo, in quo quærit, An lex beat mutari aliquo modo, in corpore articuli concludit -- Ex parte hominum, quorum actus Lege regulantur, Lex rectè mutari potest propter mutationem conditionum hominum, quia secundum diversas eorum conditiones diversa expediunt -- Tertiò quoniam hoc modo Hæreticorum conversioni facilius consulitur, nam multò difficilius convertuntur, qui in conversione alterum Conjugem, si iste converti nolit, dimittere debet. Nec semper in bona Fide relinquī possunt, quia ut S. Congregationi Concilii Irenensis Episcopus in tertio catu exposuit, inter colloquendum à Civibus Catholicis de talium Matrimoniorum validitate scrupulus injicitur. Postremò, quoniam ex supra laudato cap. Denique §. De ipsa dist. 4. capit. 6. -- Quia prava consuetudine averti non possunt, aliquando cum venia suo ingenio reliquendi sunt,

ne fortè pejores existant, si à tali consuetudine prohibeantur -- Quod ipsum ferè in cap. *Quod dilectio de consanguinitate* decernitur.

Quemadmodum igitur, ut est notum Jurisperiti dictum -- nulla ratio Juris, aut æquitatis benignitas patitur , ut quæ salubriter pro salute hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipsorum commodum perducamus ad severitatem-- Ita quoque nulla Juris ratio, aut æquitatis benignitas in Romano Pontifice patitur , ut quæ à Concilio Tridentino salubriter pro animarum salute præscripta fuerunt eadem pro illis! Pontifex manutene , & urgere perseveret , contra quorum salutem sunt eorumdem ab Hæresi conversionem difficultorem reddendo. Hoc igitur in casu, ut eleganti S. Cyrilli similitudine utar , Pontifex *Nautarum prudentiam imitabitur*, quæ quedam exonerat , ut cætera *salva maneant*; Atque ita verum se ovium quoque istarum errantium Pastorem exhibebit, cui incumbit tollere , cum potest , obstacula , quæ iisdem redditum ad ovile difficultorem reddunt, qualis est, ut dixi, prædictus nullitatis effectus in Tridentini Decreto. Quo temperato , ut ferè S. Augustini verbis utar , *majoribus malis sanandis Charitas sincera subveniet*.

Providere autem poterit talium Matrimoniorum validitati in posterum, non quidem abrogando, vel derogando Concilii Tridentini Decreto, sed unicè pro nunc, quatenus opus sit, suspendendo nullitatis effectum quoad Hæreticos , de quibus agitur, donec Deo eorumdem corda illuminare placuerit. Ita enim meâ sententiâ , Tridentino Concilio debita reverentia, suusque honos servaretur, non tol-

lendo de medio ejusdem Decretum, sed ejusdem tantum nullitatis effectum, Ecclesiasticâ Economâ, ratione temporum, locorum, & personarum, quæ à prudente Legislatore in consideratione habenda sunt, suspendendo.

Quin hoc ipsum Sanctissimo faciendum consulerem, etiam si Eminentissimi Patres valida Matrimonia, de quibus agitur, existimarent. Atque hoc ut omnes prorsus scrupuli evellantur, qui ex probabilitate oppositæ sententiæ possent oriri;

Quoad secundam ejusdem dubii partem, vide licet, quæ Declaratio à Sanctissimo fieri debeat, censerem hanc Declarationem non esse faciendam per Bullam, aut Breve, quoniam hæc Declaratio vel erit de validitate Matrimoniorum, quæ ab Hæreticis contrahuntur, & tunc cum istorum favorem concernat, non est solita S. Sedes interloqui per Bullas, aut Brevia Hæreticorum favore, vel erit de invaliditate, & tunc multò minus expediret, quod tamquam illegitimi per Bullas, & Brevia traducantur, ne in Catholicos cum damno Religionis exacerbentur. Faciendam igitur talem Declarationem existimarem per Sanctissimum suam unicæ mentem, prout ipsi Deus inspiraverit, aperiendo Illustrissimo D. Secretario Concilii, à quo in Registris Congregationis annotetur, Episcopisque Belgij pro eorumdem regula communicetur.

Ita circa dubia mihi communicata censerem, falvo semper &c. me tamen &c.

*F. Joachim Besozzi Abbas S. Crucis in  
Jeruf. S. R. I. Consultor.*

Hol-

## G.

## Hollandiae Matrimoniorum.

Dub. I. -- *An Matrimonia ab Hæreticis inter se in Locis Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis contracta, non servata formâ Concilii Tridentini, censenda sint valida.*

**T**antus est in hac quæstione rationum, actoritatum, imo & quodammodo decretorum, quæ Sacris ex Congregationibus emanarunt, conflictus, ut, si rem æquâ lance libremus, suspensi, atque hæsitantes animo teneamus, necesse sit. Hujuscemodi conflictum doctissimè juxta, atque eruditissimè pro more suo nobis exhibet R. P. D. Archiepiscopus Philippensis S. Congregationis Concilii Secretarius in prolixa Scriptura hac de re edita; Quamobrem, ne tempus inutiliter contemnam, ab eo insuper exponendo consulto abstineo.

At quandoquidem cuinam parti magis adhæram, aperire jussus sum, pro valore Matrimoniorum, de quibus agitur, & jamdiu me stetisse, & adhuc stare ingenuè fateor. Haud utique me movet argumentum ex eo petitum, quod Decretum Tridentinum in Parochiis Provinciarum fœderati Belgii ritè publicatum, receptumve minime fuerit: Siquidem historica monumenta hinc inde adducta, quæque in præfata Scriptura legere est, hocce argumentum infirmum reddunt, nulliusque profecto roboris. Suas quoque apud me difficultates, & quidem gravissimas habet illud, quod ex longa consuetudine memorato Conciliari Decreto contraria produci afolet; eoque præsertim, quod ab Hæreti-

Hæreticis contra communes Ecclesiæ leges consuetudinem induci posse, incertum admodum mihi est. Certè consuetudo legem non abrogat, nisi in quantum Legislatoris sive personalem, sive legalem consensum præfert; difficile autem creditu est, Ecclesiam juratis hostibus suis hujuscemodi consensum ullo modo præstare velle. Doctrina vero S. Thomæ (a) de cessatione legis positivæ humanæ, ubi legem ipsam non modò inutilem, verum etiam perniciosa, atque observatu moraliter impossibilem evasisse constiterit; ejusmodi, inquam doctrina quatenus Hæreticos respicit, quorum culpa, & contumacia ea incommoda subsequuntur, modici ponderis esse dignoscitur. Parvi quoque mihi sunt rationes reliquæ ferè omnes, quæ pro valore Matrimoniorum, de quibus disputatur, in medium conferuntur; tot enim, tantisque exceptionibus inveniuntur obnoxiae, ut nihil pene solidi afferre valeant.

Rationes autem, quæ me commovent, duæ præsertim sunt: Prima ab ipsiusmet Tridentini historia derivatur: colligitur namque ex Pallavicino, (b) ea potissimum de Causa appositam fuisse nostro decreto clausulam, ut in unaquaque Parochia publicaretur, roburque suum post triginta dies habere inciperet, à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos; ut scilicet Acatholica rum Communatum, Nationum, Rerumque publicarum Matrimoniis prospiceretur, eaque memorato decreto haud quaquam irrita redderentur. Perspectum namque Tridentini Patres habebant,

Acatho-

(a) I. 3. q. 96. art. 6. in corp.

(b) lib. 22. c. 4. n. 25. & 26. lib. 23. c. 5. n. 19.

Acatholicis ejus temporis Communitatibus, cœti-  
busque nec Parochias, nec Parochos esse, ubi, & à  
quibus Decretum illud publicaretur; & neque pu-  
blicationi Hæreticos consensuros unquam, licet  
eis Parochi, Parochiæque fuissent: Quamobrem  
ea clausula Acatholicorum Matrimonia ab nova  
condita lege excipere duxerunt, atque cavere, ne  
in Concubinatus universim evaderent, ingenti ea-  
rumdem Communitatum cum Spirituali, tum  
Temporali detimento, quod nullo vel Hæretico-  
rum, vel Catholicorum bono compensaretur. Et  
vero si Tridentini Patres Matrimonia quoque in  
Hæreticorum Communitatibus inita comprehen-  
dere voluissent, iniquam, uti reor, condidissent le-  
gem, utpote quæ contra cuiusvis justæ, atque adeo  
veræ legis naturam ad augenda potius, quam ad  
minuenda mala conduxisserent.

Cum igitur planum, exploratumque sit, Eccle-  
siæ mentem nequaquam fuisse, Acatholicorum  
ejus temporis verè, proprièque dictas Communi-  
tates Conciliari legi, quæ ad clandestina respicit  
matrimonia, subjicere: Remanet nunc discutien-  
dum, eademne, an diversa Ecclesiæ sit mens de iis  
Hæreticorum Communitatibus, quæ in Regioni-  
bus, Regnis, Provinciis, Civitatibusque, ubi De-  
cretum Tridentinum aliquando publicatum, re-  
ceptumque fuit, ad præsens formatæ reperiuntur?

Et quidem si de iis Hæreticorum Communitati-  
bus sermo sit, apud quas Tridentini Decretum nec  
publicatum, nec receptum unquam fuit; & quæ  
eo totæ, vel ex parte migrant, ubi & publicatum,  
& receptum est; si, inquam, de ejusmodi Hære-  
ticorum Communitatibus agatur, pro certo pro-

pemo-

pemodum habeo, eas decreto, de quo agimus, nusquam subjici; modo, & ubi id publicatum, receptumque fuit, ita vivant, ut veram, proprièque rationalem Communitatem conflent. Etenim veræ Communitates ubivis degant, sicuti propriis legibus vivunt, ita & propriis exemptionibus, ac privilegiis uti, fruique possunt. Unde Helvetii Romæ degentes, parvamque Communitatem hic informantibus jejunium quadragesimale non utique Romano, sed Helveticō more incipiunt, suntque ipsis Bacchanaliorum dies, qui nobis Cinerum dicti sunt.

Major utique difficultas est, cum de iis Acatholicorum Communitatibus loquimur, quæ inibi, ex iisque indigenis exortæ sunt, ubi, & apud quos decretum Tridentini publicatum jam, receptumque fuerat: Par enim non videtur, ut ejusmodi Communitates ex propria, patrumve suorum apostasia commodum hauriant; tantique criminis quasi in præmium ab receptis Ecclesiæ legibus eximantur. Verum etiam hac in hypothesi Ecclesiæ mentem non esse, ad memoratas Communitates sædictum decretum extendere, asseverare vix equidem ambigo.

Et verò si Ecclesia noluit Acatholicorum Cœtus tempore, quo Tridentinum celebratum est, existentes in decreto de clandestinis matrimoniis abs se lato comprehendere; ne, uti dicebatur, eorum matrimonia in Concubinatus universim evaderent; & absque ulla majoris boni compensatione, augerentur scelera potius, quam minuerentur; Ecquis sibi persuaserit, piam matrem, ipsissimis hisce malis haudquaquam obstantibus, Acatholicorum Com-

Communitates futuras in eadem sanctione comprehendere voluisse?

Quodque comprehendere reapse noluerit, haud levia suadent indicia. Centum fere anni sunt (postquam scilicet Fœderati Belgii Acatholici in veram, pacificamque coaluere Rempublicam) ex quo Romana Ecclesia nec utrique ea ex gente conjugi ad Catholicam Religionem converso matrimonium renovari aliquando jussit, nec eorumdem Conjugum uni converso novi ineundi matrimonii facultatem fecit: nec de legitimis præfatorum Acatholicon prolium natalibus dubitare visa est. Equidem si id non est, ea matrimonia pro validis, ratiisque habere, vix unquam aliud esse putaverim. Doctores, qui rationi huic innituntur, eamque promovent, atque illustrant, abundè citatos observarē est in laudata R. P. D. Secreta: ii scriptura num. 35.

Quæ autem adversus hanc rationem ipsam in eadem Scriptura num. 47. producta sunt, nihil solidi præferre videntur. Etenim quod Sacrarum Congregationum decreta attinet, ea vel ad Hollandiæ Provincias respiciunt, dum non adhuc in veram, pacificamque coaluerant Rempublicam; vel ambigua admodum sunt, quæque adeo rationem propositam elevare minime possunt; vel non plenè discussa Causa prodiisse, satis ipsamet superque testantur. Ad memorata enervanda indicia reponere cum P. La Croix, (c) quod licet Ecclesia matrimonia, de quibus disputatur, pro irritis habeat, postquam tamen contracta sunt, stante de valore eorum probabilitate, tanquam valida, rataque suscipiat; id, inquam, reponere locum utique

(c) Theol. mor. lib. 6. p. de matrim. n. 773.

que habere posset quoad Matrimonii civiles effec-  
tus; sed nunquam hujuscemodi Matrimoniorum  
usum talis doctrina licitum redderet: Quamo-  
brem ut is usus evaderet licitus, Matrimonia uti  
dubii valoris ad Tridentini formam renovari de-  
berent, quod fieri neutiquam consuevit, ipsomet la-  
Croix adstipulante; Nec sequitur, Acatholicos ex  
apostasia commodum reportare: Siquidem proba-  
tum est, Romanam Ecclesiam haud utique in Hæ-  
reticorum gratiam, sed in æquitatis, pietatisque suæ  
Acatholicas Communitates in decreto Tridentino  
comprehendere nolle.

Alteram rationem, quare affirmanti sententia  
adstipuler, subscribamque, ex indubia, solidisque  
fundamentis innixa ejusdem sententia probabilita-  
te hauriendam duco, eamque sic brevissimè pro-  
pono. Ecclesia habiles reipsa ad Matrimonium  
contrahendum reddit quotquot opinione solide  
probabili tanquam habiles reputantur; modò ta-  
men quæstio circa jus versetur, non circa factum;  
disputeturque de impedimento ab sola lege Eccle-  
siastica derivata. Hoc assertum præ cæteris fuse  
comprobat P. Joannes Cardenas, quem nemo laxi-  
tatis insimulabit, in exponenda prima propositio-  
ne ab Innoc. XI. (d)proscripta: Et moralem ejus cer-  
titudinem, ob quam locum habere existimat in Ma-  
trimoniis non modo contractis, sed etiam contra-  
hendis, rationibus qua Theologicis, qua Canoni-  
cis ostendere satagit, ac præsertim Summorum  
Pontificum rescriptis, quæ apud eundem videri  
possunt.

Hoc posito: Certè in meridianam lucem tene-  
bras

(d) Disp. 2, Cap. 8. per. tot.

bras inferre tentant, qui sententiæ, quam tuemur, veram, solidamque probabilitatem adimere conantur. Quisquis enim præjudiciorum expers momenta rationum in saepe laudata scriptura pro eadem sententia congesta accurate expenderit, exemplorum profecto habebit, ea sin minus divisim, saltem simul considerata tantam hujuscemodi sententiæ probabilitatem adsciscere, ut de ea merito dici possit, si haec non sit probabilis, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

Quum itaque certò probabile sit, & quidem probabilitate ad jus attinente, Matrimonia Acatholicorum in Hollandia degentium, præter formam à Concilio Tridentino præscriptam, inter se inita valere, ea revera valent, ac tanquam initia inter personas ad contrahendum aptas ab Ecclesia, si opus erat, redditas excipienda sunt.

Verum quandoquidem rationes istæ rem ad liquidum non perducunt, suntque Doctores bene multi, quibus neutquam arrident, expedire omnino iudico, ut lato ab hac S. Congregatione decreto, mentem Ecclesiæ non esse, Acatholicorum Communitates, Respublicas, cœtus ubivis, & quodlibet modo pacificè, quantum ad Religionem pertinet, degentes, in decreto Tridentino de clandestinis matrimoniis comprehendi; lato, inquam, tali, similive decreto, supplicetur dein Sanctissimo pro ejusdem approbatione; quæ tamen ita concepta sit, ut veræ declarationis efficacitatem, & vim omnem obtineat.

Dub. II. *An Matrimonia inter Partem Catholicam, & Partem Acatholicam, quæ ambæ sint fœderatorum Ordinum subditæ, contracta in locis eorumdem.*

Pro resolutione notandum est primò, dubium restringi ad valorem, non autem ad fas extendi; Siquidem, regulariter loquendo, vetitum Catholicis esse connubiale fœdus cum hæreticis inire certissimum est.

Nota secundò, Hollandiæ Rempublicam physique quidem unam, sed moraliter duplicem esse; alia namque Acatholicorum, alia Catholicorum inibi consideranda Communitas est; Atque hanc decreto Tridentini circa clandestina Matrimonia obnoxiam esse, Belgii Episcopos minime ambigere.

Jam vero negantem propositi Dubii partem tanquam affirmante longè mihi probabiliorem sequendam autumo; in ejusque probationem ita in forma argumentum struam. In confesso apud omnes est, quod ubi una Pars est ad Matrimonium contrahendum inepta, Matrimonium irritum redditur, perinde ac si utraque inhabilis in se ipsa fo- ret: uti in impedimentis impotentiae, Voti, Ordinis, ligaminis &c. apertissime patet. Atqui Pars Catholica in Hollandia, dum Tridentini forma non servatur, est ad Matrimonium inibi contrahendum inepta, quamvis Acatholica apta dicatur. Ergo Matrimonium, quod inter se contraheretur, invalidum prorsus, & irritum, nedum illicitum existimandum esset.

Evidem si in Hollandia aliqua Parœciarum segregatio, seu distinctio conservaretur; ibique Parœciæ, vel quasi Parœciæ Catholicorum ab Acatholicon sive Parœciis, sive quasi Parœciis secer-nerentur, matrimonium citra fraudem à Parte Ca- tholica

tholica cum Acatholica in quasi Parœcia Acatholica Partis initum pro valido habere, nullus abnuem. At quandoquidem segregatio, seu distinctio isthæc nequaquam viget; nullaque respectu Catholicorum inibi degentium Parochia, vel quasi Parochia est, in qua decretum Tridentini publicatum, receptumque non fuerit, quocumque intra Hollandiæ fines Pars Catholica sese conferat, nupiam idonea fiet, ni legem Concilii servet, ad contrahendum.

Neque dicas, in matrimonio contrahendo liberum Partibus esse sive Sponsi, sive sponsæ leges amplecti. Nam hoc verum quidem est quoad electionem Parochi, proprius enim Parochus dicitur, sive ille Sponsi sit, sive Sponsæ, sed ad reliqua matrimonii valorem attinentia hujuscemodi assertum extendi, nemo profecto dixerit.

Et sanè si duo fingamus Regna recens ad fidem conversa, quorum unius indigenæ justis de causis exempti ab Romano Pontifice declarati sint ab impedimento quarti gradus consanguinitatis, alterius autem finitimi non. Si qui reperirentur Regni non exempti indigenæ quarto consanguinitatis gradu cum indigenis Regni exempti conjuncti, nemo, uti reor, opinabitur, eos citra dispensationem validè, & inter sese matrimonio jungi posse, eo quod una Pars in Matrimonio contrahendo alterius libertatibus uti, fruique valeat.

Quæ autem pro resolutione hujuscce Dubii dicta sunt, vim, & locum habent, ubi verus, propriusque Parochus sine gravi detimento, vel incommmodo haberipotest, probè etenim novi, quid Sacra Concilii Congregatio die 27. Martii 1632, Epis

copo Tricariensi rescriperit, quodque in præfata  
Scriptura num. 20. relatum legitur.

Sit pro resolutionis hujusce coronide ejusdem  
S. Congregationis decretum in *Causa Ruremun-  
densi Matrimonii*, quod idem in dicta Scriptura  
refertur quarto loco; & quandoquidem rem om-  
nem id confidere existimo, hic exscribere non  
pigebit.

Catholicus cum hæretica, quæ hæresim abju-  
rare promiserat, Matrimonium coram Magistratu  
Sæculari in loco, ubi Concilium Tridentinum re-  
ceptum, & Parochus commodè haberi, & aditi po-  
terat, contraxit, & postea consummavit. Verum  
quia mulier non solum ad hæresim abjurandam ad-  
duci non potuit, sed alteri viro nupsit: Orator ad  
partes viventes sub obedientia S. Sedis fe recepit,  
& cum alia muliere contrahere desiderat: Sed quo-  
niam Ordinarius recusat permittere absque S. Se-  
dis declaratione, Orator supplicat decerni, an præ-  
dictum Matrimonium contractum ab ipso cum  
dicta hæretica, modo ut præfertur, sit nullum.

Die 2. Maii 1676. S. Congregatio Eminentissi-  
morum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini  
interpretum, secundum ea, quæ proponuntur,  
censuit, dictum Matrimonium fuisse nullum.

Hisce duobus dubiis, quæ in hac materia quasi  
capitalia sunt, resolutis, reliqua vel ex dictis relo-  
luta manent, vel non multum negotii faciliunt:  
Quamobrem iis in præsentia singillatim discutien-  
dis libenti animo supersedeo.

Atque ita sub Censura &c.

*Thomas Sergius Piorum Oper. S.R.Inqu. Conf.*

DIS.

H.

D I S S E R T A T I O

Super primo Dubio.

An.

Matrimonia ab Hæreticis inter se in Loci fæderatorum Ordinum Dominio in Belgio subjectis contracta, non servatâ forma Concilii Tridentini, censenda sint valida.

**I**NITIO præmittendum videtur, quod Fundamentum, ac Basis recti in hac tota controversia Judicij ab utraque parte tam affirmantium, quam negantium valorem Matrimoniorum, de quibus disputatur, reponenda sunt in mente, & intentione Ecclesiæ circa vim, ac robur Decreti Tridentini *Seff. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim.* Nam si Mens sit, ut ea Lege non ligentur Populi, de quibus agimus; jam cessat tota ratio negantium valorem, quippe tota, quanta est, ex illa lege repetitur. Contra si Mens sit, ut ligentur: corruunt prorsus argumenta valorem Affirmantium.

Decem hujusmodi argumenta incredibili diligentia, & acri Judicio ab Illustrissimo Domino Secretario collecta habemus præ manibus; neque alia credo aut ab Affirmantibus afferri, aut ex cogitari facile posse. Singulis Argumentis videmus suas solutiones aptè subjunctas. Sed affirmare mihi posse video neque argumentis illis, neque solutionibus istis vim constare ullam, nisi vim respectivè totam repetendo ab Intentione Ecclesiæ.

K 3

Atque

Atque ut hujus rei specimen brevissimè praebeam; Ex decem allatis pro valore argumentis, Primum & secundum, quæ sumunt Hæreticos, vel esse moraliter sine Parochia, vel esse in Parochia moraliter diversa à Catholicis, vim nullam habent, nisi illud *Moraliter* alludat ad Judicium prudenter fundatum in Ecclesiæ voluntate. Quartum, & Quintum desumpta ab ignorantia vel Legis Tridentinæ, vel tituli spurii in Ministellis, nihil possunt, nisi considerentur tamquam Indicia benignæ voluntatis Ecclesiæ. Tertium, Sextum, & Octavum, quæ referuntur ad Epichemjam Septimum, & Nonum, quæ ad consuetudinem explicari, & intelligi nequeunt ex natura ipsa Epichejæ, & consuetudinis, nisi rem reducendo ad rectam mentem, vel consensum Legislatoris. Decimum denique fundatum in directa probabilitate Sententiæ affirmantis, niti debet principio reflexo, quod illa stante directa probabilitate, praesumatur adjungi suffragium Legislatoris, praesertim pro qualitate materiae favorabilis.

Itaque mihi videtur eò dirigenda consideratio tota in hac Causa, ut investigetur mens, & intentio Legislatoris.

Praemitto secundò, quod hanc mentem indagare possumus vel in ipso primo Legislatore, id est in Concilio Tridentino, vel in Ecclesia subsequente, cui novæ supervenientes rerum mutaciones fiunt pro tempore presentes. Ad mentem Tridentini exquirendam potissimum conducunt Regulæ Epichejæ: Ad mentem subsequentis Ecclesiæ speciali modo conferunt Regulæ consuetudinis.

PARS

## P A R S P R I M A

De Mente Concilii Tridentini.

### §. I.

Proponuntur Regulæ Epichejæ.

*Incipio à Mente Tridentini ad Regulas Epichejæ consideranda.*

**E**pichejam esse unam ex præcipuis Virtutibus docet post Aristotelem *S. Thomas 2.2. quest. 120.*, ubi notat dici posse latinè Æquitatem.

Porrò ad hanc Virtutem spectat dictare, quandonam casus aliquis cæteroquin ex vi verborum legis universalium non exceptus, excipiendus tamen est ex vi animæ Legis, quæ est recta Mens Legislatoris. Ad discernendos verò hujusmodi casus exceptos tribus Regulis hæc Virtus utitur.

Prima est, quando materia Legis in casu evadit iniqua. Sic à Lege restituendi Domino depositum excipitur restitutio gladii Domino furioso.

Secunda est, quando materia evadit tam ardua, & difficilis, ut inhumanum, & irrationalib[us] fuisse istum casum velle comprehendere. Sic à lege generali abstinendi per Quadragesimam à Carnibus excipitur graviter Ægrotus.

Atque in ipsis duobus casibus solet deficere in humano Legislatore nedum voluntas, sed etiam potestas eos casus comprehendendi.

Tertia regula est, quando licet absolutè, & simpliciter non defuerit potestas à Legislatore, si summo jure uti voluerit; tamen re ipsa noluerit casum comprehendere: idque colligitur ex con-

currentibus iudiciis. Sic à lege generali Jejunii excipiuntur minores annis uno, & viginti juxta receptam Sententiam Doctorum cum S. Thoma 2, 2. quest. 147. art. 4. ad 2.

Applico jam ad casum nostrum secundam, & tertiam ex præfatis Regulis.

§. 2.

*Mens Tridentini ex secunda Regula Epicheja.*

**R**Evoco prius in memoriam, quām diurna, & acris fuerit in Tridentino Disputatio circa Decretum nostrum. Difficultas præcipua, ut legere est in Historia Cardinalis Pallavicini lib. 22. cap. 4., & lib. 23. cap. 3. & 9. inde oriebatur, quod Jure tam naturali, quām Divino, confirmato etiam in Evangelio, constitutum reperitur humano Generi, & concessum remedium concupiscentiæ in Matrimonio, & dato omnibus libertas eo remedio licet utendi contra gravissimum, & universale malum. Hujusmodi autem libertas naturali, & Divino Juri nixa, videbatur magna PP. Tridentinorum numero vel non posse ab Ecclesia restringi, vel æquum non esse restringi.

Præterim quia, ut observabat in suo Judicio Rithovius Episc. Irense, agebatur de restringenda ea libertate universim, & quoad omnes Personas, & non tantum in particulari quoad aliquam speciem Personarum, e. g. conjunctarum certo quodam gradu consanguinitatis. Quare licet Ecclesia & potuisset, & rationabiliter voluisse prædictam naturalem libertatem restringere quoad paucas illas Personas, quæ iis gradibus conjunctæ forent,

sorent, tamen vel non posset, vel non deberet restringere tali modo, qui extenderetur ad omnes Mundi Personas.

Accedat gravis hæc consideratio, quod Christus ipse Dominus, cui data est omnis potestas in Cœlo, & in Terra, quamvis in nova Lege Grauiæ Matrimonium elevaverit ad Sacramenti dignitatem, atque adeo illud constituerit in novo quodam valde diverso, ac longè firmiore statu, quam antea fuisset: Quamvis item præviderit tam Judæos, quam Gentiles, alioquin post sufficiem Legis Evangelicæ promulgationem ad eam amplectendam obligatos, nihilominus ex pertinaci odio, & contemptu illam rejecturos; tamen cum posset, noluit illos eosdem Legis suæ hostes infensissimos privare generali illo concupiscentiæ remedio. Quare reliquit tam Judæis, quam omnis generis Infidelibus valida Matrimonia, etiamsi ad præscriptum Legis Evangelicæ illa contracturi non forent. Quia in re Christus Dominus peculiater ostendit illum se esse, de quo prædictum fuerat, Isa. 42. *Calatum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.*

Hæc gravissima difficultas ab aliis aliter exposita compulit omnes Concilii Patres. Primò ad prætermittendam omnino eam Decreti jam præparati partem, quæ irritabantur Conjugia Filiorum sine consensu Parentum. Secundò ad ita temperandam alteram Decreti partem adversùs Matrimonia clandestina, ut libertas illa naturalis restringetur quam minimè fieri posset, & præcisè tantum, quantum videretur expediens ad evitanda mala & clandestinis ex hominum abusu proficiisci solita.

His positis , placeat nunc observare ad quas angustias , & difficultates hodie reducatur remedium illud naturale concupiscentiæ respectu Populorum , de quibus agitur ; Si contendamus ex mente Tridentini , illos adhuc ligari , & comprehendendi sub ejusdem lege , non obstante præsenti systemate illarum Provinciarum.

Ex una parte validè contrahere non possent sine Parocho Catholico : Ex alia parte hinc Magistratus severissimis legibus eos prohibent à Catholico Parocho adeundo ; Inde Ecclesia ipsa sanctissimè prohibet Parochis Catholicis , ne illorum Matrimoniis assistant , nisi abjurata prius Hæresi.

Hoc re ipsa perinde est , ac illis Populis in hunc modum edicere : Vel convertimini ad Fidem Catholicam , vel scitote vos carituros remedio naturali concupiscentiæ . Quod ipsum est illos effice-re deterioris conditionis , quam sint Judæi , & Infideles.

Quæso nunc consideretur , an conversio illo-rum Populorum sit facilis ? An potius sit tam ardua , ut non videatur rationabile illos spoliatos velle supradicto remedio , nisi prius tam arduam difficultatem superent ? Et noto , quod nunc non agitur de unius , aut alterius hominis Matrimonio , sed de Matrimoniis integrorum , & frequentium Populorum . Iterum dico , nonne summè arduum est eos Populos converti ?

Neque verò victoria hujus difficultatis pendet à solo , & mero libito illorum hominum . Rectè scripsit Cardinalis Albitius de Inconstan . cap . 14<sup>a</sup> num . 55 ad Hæresim formalem non sufficeré in subiecto Baptismum , sed requiri insuper Instru-  
ctio-

ctionem. Hinc cap. 11. num. 10. notaverat Rusticos, Pueros, Mulieres, aliosque hebetis ingenii, qui per simplicitatem potius, quam per errorem incident in Hæresim, non posse dici formaliter Hæreticos. Jam quanta sit turba hujusmodi generis hominum in iis Populis, nemo necit. Ad eos ergo convertendos opus esset Instructione; opus esset dedocere errores, removere præjudicia, quibus ab Infantia cæci illi, & infelices homines imbuti sunt. Pars maxima incapax est seipsum instruendi per libros. Opus ergo esset viva voce Catholicorum Prædicatorum. At quæ spes invehendæ Prædicationis Fidei Catholicæ apud Hæreticos illos? Sed quid opus pluribus ad maximam difficultatem conversionis illorum Populorum ostendam, cum res sit omnibus compertissima?

Posita igitur hac tanta rerum mutatione, moraliter illis Populis insuperabili, propter quam redditur iisdem moraliter impossibilis observantia Decreti Tridentini; locum videtur habere debere secunda, quam dixi, Epichejæ regula, quæ docemur, casum moralis impossibilitatis censeri exceptum à lege: accidente præsertim mente Tridentini, quæ, ut diximus, fuit, ut lege sua, quæ videbat restringi remedium naturale concupiscentiæ, non introduceretur nisi quam minima restrictio, & mediocris difficultas non magno negotio superabilis.

Et sanè ipsa Sacra Congregatio hanc Epichejæ regulam lecuta in iteratis illis Resolutionibus, quæ laudantur, & confirmantur in una *Indiarum Orientalium* producta in Foliis Illustriissimi Secretarii,

illa

illa nimirum, quâ decretum fuit, in locis, ubi non adest Parochus, vel si ad sit, accessus ad eum non est tutus, & facilis, valere Matrimonium sine Parocco, si saltē coram Testibus fiat. Ex qua resolutione, ut hoc obiter observem, planè refutatur illorum opinio, qui dicant Epichejam non habere locum in lege irritate. Hæc enim resolutio certè non est lex aliqua nova derogans legi Tridentinæ pro casibus in eadem resolutione consideratis: sed est tantum legitima Interpretatio ejus legis, atque declaratio, quod casus illi propter adjunctam moralem impossibilitatem intelligendi sunt excepti à lege Tridentina.

Ubi juvat advertere duo notatu digna. Alterum est, quod in cit. *Causa Indiar. Orient.* agebatur de tempore Schismatis exorti in Serra Malabarica, quo Schismate sese implicuerant ipsi Populi, qui proinde Presbyteros Schismaticos in Parochos illegitimos sibi delegerant. Nihilominus Sacra Congregatio nullam rationem habendam censuit voluntariae rebellionis eorum Popolorum à Pastore legitimo: neque distinxit inter eos, qui culpâ suâ carerent veris Parochis, & inter eos, qui sine culpa: sed generatim pronunciavit moralem impossibilitatem adeundi verum Parochum, undecumque illa originem traxisset sive à Populi culpa, sive non, facere casum exceptum à lege Tridentini. Alterum est, Sacram Congregationem admisisse tunc Matrimonia sine Parocco legitimo facta; rejecisse tamen omnino, quæ in illo eodem Schismate facta fuissent cum dispensatione Pastoris intrusi in impedimentis dirimentibus. Unde intelligimus magnum reponendum esse

esse descrimen inter impedimentum proveniens ex absentia Parochi, quod omnia prorsus Matrimonia generaliter impedit, & inter reliqua impedimenta, quæ dumtaxat impediunt Matrimonium cum certo genere Personarum.

Jam verò ex laudata resolutione Sacræ Congregationis dicimus mentem Concilii esse benignè, & secundùm æquitatis regulam interpretandam. Dicimus Ecclesiam leges suas accommodare humanæ infirmitati ad ipsius Dei Opt. Max. exemplum, qui ut dicitur Sapient. 12. *Cum tranquillitate judicat,*  
*& cum magna reverentia disponit nos.* Dicimus, in hac præsertim lege, qua restringebatur Hominibus usus à natura, & Deo concessus remedii ad curandum gravissimam concupiscentiæ ægritudinem tantopere necessarii, Ecclesiam discretè gessisse se : ac proinde de ejus mente non fuisse, *ut quæ salubriter pro utilitate Hominum introducta sunt, ea nos* duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ; quemadmodum loquitur L. Nulla ff. de legibus, qua lege S. Thomas in simili materia utitur 1. 2. quæst. 96. art. 6. Itaque de mente Concilii dicendum est non fuisse præfato naturali remedio spoliare maximam Hominum multitudinem etiam tum, cum moralis impossibilitas occurreret observandi restrictionem à se impositam.

Fateor, ejusmodi Morales impossibilitates non esse relinquendas uniuscujusque Privati judicio. Sed quoniam hodie loquimur coram legitimis Interpretibus Tridentinæ legis, licebit proponere considerandem, utra censenda sit major impossibilitas, illa ne, quæ resultabat in Schismaticis Indice ex eo quo non esset illis tutus, & facilis accessus ad

Patro-

Parochum? An verò illa, quæ resultat in Hæreticis Bataviæ ex eò quòd non sit illis facilis accessus ad profitendam Catholicam Fidem? Nam hæc esset illis superanda difficultas, ut diximus, si vellent recuperare naturale Matrimonii remedium.

Sed liceat hoc idem illustrare alio quodam exemplo. Certum est ex S. Thoma, Bellarmino, & reliquis communissimè, quod Matrimonii contractus apud infideles, æquè ac cæteri humani contractus, sub jacet legibus Domini temporalis illorum, sive quoad licitum, sive quoad validum. Fingamus nunc aliquem bonum virum zelo quodam conversionis Judæorum ferventem sugerere Summo Pontifici, ut pro Judæis subditis Ecclesiastici Status ferat hanc legem, scilicet, *ut illiteneantur sub pena nullitatis Matrimonia contrahere coram Magistratu Loci*. Interim verò Pontifex prohibeat singulis Magistratibus, ne coram se illos admittant, nisi prius convertantur ad Christum, **Credo** sanè, legem hanc visum iri omnibus irrationali vel hoc solo nomine, quod miseros illos homines privaret naturali concupiscentiæ remedio sibi hactenus per Christum ipsum relicto; nisi difficultatem hanc maximè arduam superarent se convertendi ad Christum. Et tamen non minus Judæi tenentur Christianam Religionem amplecti, quam Batavi Catholicam: non minus Judæi odio flagrant adversus Christianam Religionem, quam Batavi contra Catholicam. Et alioquin in manu Pontificis est facere, ut Judæi sibi subditi Christiana Doctrina instruantur: quod item de Batavis dici non potest.

Dicet fortè aliquis, eam legem fieri contra Judæos non posse, quia non licet cogere Infideles ad Fidem,

Fidem, illa autem Lex esset gravis, & manifesta coactio.

Sed respondeo; Ideo esset gravis coactio, quia Judæis imponeret gravissimum onus prius resipiscendi ab inveteratis erroribus suis, & amplectendi Christianam Religionem, contra quam misera, & cæca Gens illa imbuta est ab Infantia infinitis præjudiciis, quæ facile non sit evellere: Quare inhumanum meritò videretur eisdem spoliare naturali libertate Matrimoniorum, nisi prius superent tam arduam difficultatem. Applicetur hic discursus Populis Hæreticis fœderati Belgii, & perspicuum erit vim eamdem in illis habere.

Dicet forsitan iterum aliis, quod Batavi cum rebellarunt, ab Ecclesia reperiebantur jam sub obligatione Tridentinæ Legis Judæis verò de novo imponeretur Lex illa.

Sed respondeo in primis; Onus, quod Judæis in illa Lege imponeretur, non esse re ipsa novum onus, quippe antecedenter ad eam legem reperiuntur sub obligatione Christianæ Religionis amplectendæ. Deinde dico, idem Judicium fieri debere circa impositionem novæ Legis, ac circa sensum, vel conservationem antiquæ.

Habendum enim semper ante oculos est, quod ad Legis humanæ rationabilitatem, ac proinde ad valorem (si enim rationabilis non est, Lex non est) debent concurrere certæ quædam conditiones, illæ scilicet, quæ numerantur in Jure Canonico cap. *Erit autem dist. 4.*, nempe quod sit possibilis secundum naturam, idest non maximè difficilis, quod sit possibilis secundum Patriæ consuetudinem, quod sit loco, temporique conveniens, quod sit

sit in commodum subditorum &c. Habendum pariter est ante oculos, quod defectus hujusmodi conditionum sicuti reddit irrationalabilem Legem, cum primum fertur, si tunc ille defectus contingat, ita si contingat post Legem latam, vel illam abrogat, vel ostendit ab initio ipso non comprehendisse casum, in quo dictæ conditiones deficiant. Nam cum conditiones illæ sint de Legis essentia; Quandocumque illæ deficiunt sive ante, sive post, non potest non deficere essentia Legis. Qua de causa S. Thomas in aureis suis quæstionibus de Lege humana l. 2. quæst. 95. 96. & 97. prædictis conditionibus Legis iis, quas diximus; deinde ad defectum, vel concursum earumdem conditionum examinat semper, & constituit, quid sit dicendum tum de nova Lege condenda, tum de Legis prius conditæ sensu, exceptionibus, mutatione, cessatione, vel abrogatione.

Juxta quam rectissimam Regulam nobis quoque concludendum erit, quod sicuti rationabile non esset novam Legem nunc primum edere, qua sive Judæis, sive Hæreticis reddatur impossibile remedium naturale concupiscentiæ, nisi prius convertantur ad Fidem, ita pariter irrationalibile censi debeat antiquam Legem trahere ad eum casum comprehendendum, in quo similiter iisdem Populis idem remedium impossibile reddatur, nisi prius convertantur ad Fidem.

### §. 3.

#### *De eadem Tridentini Mente ex tertia Regula Epichejæ.*

**H**AECENUS de secunda Regula Epichejæ, quæ considerat mutationem in materia Legis fa-

ctam

Etiam propter supervenientem aliquam maximè arduam difficultatem, qua stante, irrationabile sit Hominem obligare.

Gradum nunc facio ad tertiam Regulam, nempe ad indicia, quæ suadent Legislatorem, quamvis absolutè potuisset, noluisse tamen casum aliquem comprehendere sub lege.

Sed iterum revertendum ad Historiam Cardinalis Pallavicini *cit. lib. 22. Cap. 4.* Duo ille alia narrat. Primo Jacobum Lainex proposuisse, secuturum ex præconcepto Decreto, quo Hæretici remansuri essent sine veris Matrimoniis; Unde notissima alia absurdâ consequerentur, Concubinatum innumerabilium, Prolium omnium illegitimatum, Perturbationis successionum, Maculæ, & Ignominiæ totius Reipublicæ &c. Hoc autem à Lainez propositum incommodum visum omnibus PP. fuisse inconveniens in hac materia maximum, ideoque diligenter cavendum. Secundò hac de causa PP. adhibuisse Decreto temperamentum necessariæ in unaquaque Parochia publicationis specialissimâ formâ faciendæ.

In primo horum duorum habemus rationem, quæ Concilium movit ad temperandum Decretum. In Secundò habemus particulare expressum temperamentum tunc adhibitum. Ex utroque indicia promicant, quæ suadeant de mente Concilii non fuisse casum hunc nostrum comprehendere.

#### §. 4.

##### *De Primo Indicio.*

**E**T ex primo quidem jam habemus hoc fuisse Tridentini gravissimum Judicium, nimirum  
L. Populos.

Populos Hæreticos non esse absque veris Matrimoniis relinquendos. Hinc autem sponte sua videatur sequi , quod Mens Concilii non fuerit lege sua casum comprehendere, in quo Hæretici Populite linquendi absque veris Matrimoniis essent ; Ne dicitur Concilium statuisse contra id , quod Judicabat , sive quod idem est , statuisse contra mentem suam.

Quamobrem qui sentiunt Matrimonia in casu valere , ji mihi videntur rectius facere , quam qui sentiunt non valere : Illi enim sequuntur intentionem Legislatoris , quæ potior est , ut ait S. Thomas infra laudandus , hi verò nimis rigidè sectari verba videntur. Et ideo non incongruè hic applicatur *L. non dubium est.* Cod. de leg., & Const. Principum quam Legem allegat pro confirmatione suæ de Epi cheja Doctrinæ S. Thomas 2. 2. quest. 120. art. 1.; sic autem ea Lex habet : *non dubium est in Legem committere eum , qui verba Legis amplexus , contra Legis nititur voluntatem.* Eadem porro Lex post S. Thomæ tempora reperitur canonizata in Reg. ult. Juris in 6., ubi sic : *Certum est , quod is committit in Legem , qui Legis verba complectens , contra Legis nititur voluntatem.* Idemque traditur cap. Humanæ aures. 22. quest. 5. ex S. Gregorio Magno ibi - *Non debet aliquis verba considerare , sed voluntatem , & intentionem , quia non debet intentio verbis deservire , sed verba intentioni , ubi Gloss. V. verba congerit Jura alia idem inculcantia.*

Sed opponet hic quis , voluntatem Concilii fuisse restrictam ad Hæreticos sui temporis , & idcirco dumtaxat fuisse sollicitum , ne videretur Decreto suo illos involvere , de futuris verò Hæreti cis,

cis, qui fortè post publicatum inter eos Concilium defecturi ab Ecclesia forent, nihil providisse.

Respondeo tamen in hac objectione confundi duo, quæ distinguenda maximè sunt. Primum est ratio, qua permotum Concilium fuit ad temperandum Decretum : Secundum est temperamentum tunc in specie adhibitum.

Ratio fuit, quia Hæretici Populi non sunt absque veris Matrimoniis relinquendi, ut jam vidi-  
mus. Hæc autem ratio una, & eadem est relatè ad omnes omnino Hæreticos sive antiquiores, sive recentiores : Nam æquale inconveniens sequitur sive hi, sive illi relinquantur absque veris Matrimoniis. Et alioquin non minus detestabiles Concilio erant Duces illi rebellionis in Ecclesiam tempore ejusdem Concilii grassantes, quam qui postea nascituri ex illis essent, quorum ipsorum ruina illorum primorum sceleri potissimum tribuenda foret.

Temperamentum verò in specie tunc adhibitum non nego expressius cavisse Hæreticis illius primi temporis, sed cum illi tunc obversarentur Concilio ante oculos, mirum non est, si Concilium satis habuit tale tunc temperamentum eligere, quo illis expressè consuleret. Pro aliis verò calibus similibus in futurum reliquit implicitè mentem suam tatis intelligendam ex ratione ipsa, qua permotum est ad illud tunc expressum temperamentum addendum.

Jam verò ad indagandam Legislatoris mentem plus valet ratio, qua movetur ad disponendum, quam modus ipse particularis disponendi : Nam modus frequenter attemperatur circumstantiis, quæ magis in præsentia urgent : At ratio si una, &

cadem semper perseverat, eodem semper modo manifestat quid de mente disponentis intelligendum sit. Et sanè ubi de maximo incommodo vitando agitur, intentio finis, id est incommodi illius vitandi, solet esse universalis, & efficax: Electio verò mediorum ad illud vitandum adhiberi frequenter solet limitatus pro occurrente necessitate. Unde non tam ex mediis, quam ex fine metiri mentem Operantis debemus.

Atque in eo, quod diximus de maximo momento ad mentem Legislatoris indagandam residente in ratione ipsa Legis, fundantur Doctrinæ communissimæ apud I. V. Doctores, & apud Theologos de extensione Legum ob identitatem rationis. Quia de re post alios plures tractat exquisito Judicio Saurez. de leg. lib. 6. cap. 2. & seq.

### §. 5.

#### *De Secundo Indicio.*

**S**ed expendamus nunc illud ipsum speciale temporementum, quod tunc Tridentinum adhibuit. Dico enim ex illo ipso resultare novum indicium suadens, quod de ipsius mente non fuerit comprehendere casum nostrum.

Primò præcepit Ordinariis, ut quam primum possent curarent hoc Decretum Populo publicari, & explicari in singulis Parochialibus Ecclesiis; idque in primo anno quam sapissime; deinde quoties expedire viderent.

Secundò decrevit, ut Decretum in unaquaque Parochia non prius suum robur habere inciperet, quam post 30. dies à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos Ita sej. 24. cap. 1 de Reformat. Matrim.

No-

Notanda nunc aliqua sunt certa, & liquida in facto quoad res Belgicas ex Historia Cardinalis Bentivogli ex Batavia Sacra, & ex Historia Ultrajectina.

Concilium Tridentinum fuit à Pio IV. confirmatum anno 1564. Multo ante hunc annum Hæresis (1.) latè invaserat Provincias Belgicas, tamque altas jam ibidem radices egerat, ut Magistratus ad Margaritam Parmensem scriberent, ita jam auctum Hæreticorum numerum, & eo audaciæ prolapso, ut edicta regia palam contemnerentur, nec possibile amplius foret illa executioni mandare. Isto ipso anno 1564. pluribus in Locis (2) violenter effringant Carceres, & Socios de Hæresi damnatos liberant. Palam insuper non de nocte modo, sed etiam de die cæpta frequentari exercitia novarum Sectarum.

Anno sequenti 1565. prope anni finem tentata (3) Ultrajecti fuit prima publicatio Concilii Tridentini; sed appellantibus Capitulis plerisque, & aliis, non processit; ut docet Testimonium Victoris Scorelii oculati Testis. Isto tamen eodem anno (4) erumpit Factio vulgo *Compromissum* nuncupata, quæ fuit veluti primum signum Rebellionis contra Dominium Hispanorum, unde continuata ferè serie aliæ ex aliis turbæ subnatæ sunt.

Anno 1566. plurimis in Locis (5) exercetur pu-

L 3 blica

(1) *Card. Bentiv. Hist. l. 1. p. 45. 46. 47. 49.*  
edit. Colonien. anni 1632.

(2) *Id. l. 2. pag. 68.*

(3) *Batav. r. Sa. par. 2. pag. 19.*

(4) *Card. Beniv. l. 2. p. 76.*

(5) *Id. 16. pag. 97. 98.*

blica Hæresis Prædicatio, confluentibus undique  
Ministris Lutheranis, Calvinistis, Anabaptistis,  
Simul incepsum publicum Bellum contra Sacras  
Imaginiæ, Ecclesiæ, Monasteria utriusque sexus.  
Hujus anni Augusto Mense (6) devastantur Eccle-  
siæ Antuerpiæ, quod exemplum statim alibi lecutæ  
sunt præcipuæ quæque totius Belgii Civitates: id  
quod multo magis etiam antea factum fuerat per  
Oppida, & Pagos in omni ferè Provincia; cuius  
vaſtitatis furorem, vel illud unum ostendere potest,  
quod (7) tridui ſpatio quadringentis Ecclesiis toto  
Belgio strages illata fuit. In ipsa Ultrajecti Civitate  
Magistratus coactus fuit Hæreticis concedere Au-  
gusto Mense hujus ejusdem anni 1566. unam è  
Parochialibus Ecclesiis. Quo pariter anno (8)  
usque adeo Hæretici invaluere, ut coacta Marga-  
rita fuerit abolere omnem umbram aſſertæ Inqui-  
ſitionis, & liberam concedere Prædicationem Hæ-  
reticis in plurimis illis Locis, ubi jam exercebatur.  
Inter has autem tot turbas, & tumultus legimus  
(9) Ultrajecti prope finem Junii hujus anni factam  
secundam Publicationem Tridentini, quod per  
dies aliquot à capite ad calcem lectum latinè fuit in  
Metropolitana Ecclesia, Teutonicè verò in Domo  
publica Civitatis; cuius publicationis Acta publi-  
ca conſcripta sunt, adhibito in Testem laudato su-  
pra Scorelio.

Isto eodem anno (10) missus in Belgium fuit

Dux

(6) lb. à pag. 104. ad 107. & pag. 112.

(7) Hist. Ultraj. pag. 6.

(8) Cardin. Bentiv. l. 2. pag. 109. & seq.

(9) Batav. Sacr. pag. 19.

(10) Card. Bentiv. l. 3.

Dux Albanus cum Exercitu, eoque pervenit sequenti anno 1567. Res ille quidem invenit in aliquantula quiete post recuperatam per Margaritam Valencianam, & Antuerpiam repressam. Sed brevis fuit, & infida illa quies. Anno enim sequente 1568. initium factum est Bellorum eorum, quorum denique exitum omnes norunt. Porro Dux quoque Albanus (11) laboravit pro Tridentini promulgatione, cuius proinde conatibus effectum est, ut ejus tertia publicatio Ultrajecti restaurata fuerit anno 1570. Prætero quasdam alias alibi factas, ut perhibetur, Publicationes, de quibus quidquid dici potest, exposuit in sua Relatione Eminentiss. Dominus de Alsatia.

(8) Meum hic non est statuere quantum turbulentis hujusmodi infirmis, ideoque toties repetitis Publicationibus, iisdemque hinc per Catholicos multos oppugnatis, inde per Hæreticos omnes contemp-tui habitis, tribuendum sit. Taceo insuper quam parum credibile sit potuisse satisfieri voluntati Concilii, talia tempora dum fluenter, quoad priorem illam Decreti partem, qua præcipitur hoc Decretum & publicari, & explicari Populo in singulis Parochiis, idque primo anno quam sapissime &c.

Unum hoc mihi satis erit ex relatis factis tamquam certum colligere, quod de tempore qualifcumque Publicationis sive in Synodis, sive in Parochiis singulis factæ, jam Hæretici illarum Provinciarum erant palam segregati ab Ecclesia, ejusque se obedientia publicè jam subduxerant; quamvis eatenus à Dominio temporali Regis Hispani recedere non licuisse.

L 4

Posita

(11) Batav. Sacr. pag. 16.

Posita autem hujusmodi publica illorum separatione ab Ecclesia, dicentum videtur, quod publicatione illa, quæ separationi eidem supervenit, ligati non fuerint, seu affecti Hæretici illi, nisi forte ad summum ad tempus quoad scilicet, spes illos ad Ecclesiam reducendi aliqua relicta est.

Id ut probem, revoco in memoriam prudentissimam observationem Illustrissimi Domini Secretarii in suis, quas præ manibus habemus, doctissimis Adnotationibus num. 44. Ibi fatetur, communiter receptum esse Hæreticos Ecclesiæ Legibus post infelicitatem eorum lapsum non teneri, quippe quod nolit Ecclesia Potestatem, & Jurisdictionem, quæ cæteroquin pollet, in Filios illos perduelles exercere; quamquam temperandam eam Doctrinam censet, hæc subdens: *Hæc tamen ratio videtur suffragari tantum Hæreticis Angliæ, Scotia &c. quæ ante annum 1545., quo Tridentina Synodus baberi caput, hæresi jam infectæ reperiebantur.*

Jam tota hæc Doctrina, etiam dicto modo temperata, benè probat, quod ex mente Concilii, & Ecclesiæ publicatione Legis Tridentinæ in Belgio, ut præfertur, edita non ligabantur Hæretici illarum Regionum jam antea ab Ecclesia tam palam segregati, quam segregati ante Concilium erant Hæretici Angliæ, Scotiæ &c.

Nec quidquam refert, quod separatio Anglorum contigerat de tempore, quo Concilium Legem scribebat; separatio verò Batavorum de tempore, quo Concilii Lex publicabatur. Etenim diligenter est advertendum, quod Concilium non tunc imposuit obligationem, cum Legem scripsit, sed obligationem distulit ad tempus Publicationis:

Neque

Neque solum distulit obligationem passivam, sed vim ipsam activam, & obligativam Legis: expresse enim disposuit, ne sua Lex inciperet robur habere, nisi post talem determinatam publicationem. Lex autem, quæ ex Legislatoris expressa dispositione dumtaxat incipit robur habere post certam solemnitatem ante illam solemnitatem, perinde est, quasi non esset; accedente vero ea solemnitate, perinde est, ac si tunc primò ferretur; præsertim quando tunc nullum alicujus retrotractionis effectum paritura est. Igitur Concilium tunc censetur obligationem imponere, cum publicatio in actum perducitur. Quandoquidem ergo juxta allatam, & communiter receptam Doctrinam Ecclesia Lege aliqua ad Disciplinam spectante novam obligationem imponens, non censetur illam imponere velle Filiis illis, quos jam perduelles invenit; & quandoquidem tunc Ecclesia obligationem Belgii Populis imponebat, quando ibi publicata Lex fuit; & tunc jam Hæreticos illius Regionis in statu perduellionis, & separationis reperiebat; concludendum est, quod Intentio Ecclesiæ non erat tunc obligationem hujusmodi Filiis jam perduellibus, & separatis imponere.

Et ratio tum Doctrinæ illius communiter receptæ, tum ejus ad casum nostrum applicationis hæc est: Quia si Ecclesia Legem, sive obligationem novam hujusmodi Perduellibus imponere vellet, frustra laboraret, atque operam, & oleum perderet. Quinimo obligationem novam inducere vellet, quando certò prævideret non in ædificationem fore, sed in destructionem, non in utili-

utilitatem, sed in perniciem talium subditorum: id quod maximè abhorret ab omnibus principiis, quibus regulari Legislator debet in nova Lege, si-  
ve obligatione inducenda. Eſſet proinde cona-  
tus, & actus valde imprudens contra Monitum  
Spiritus Sancti Eccles. 32. *Ubi auditus non eſt, non*  
*effundas Sermonem.* Et contra gravissimum illud  
Christi Domini Mandatum Matth. 7. *Neque mit-*  
*tatis Margaritas vestrarū ante Porcos, ne forte con-*  
*cultent eas pedibus suis, & conversi disrumpant vos,*  
Nimirum ejusmodi Lex quamquam per ſe pretiosa  
instar Margaritæ, ſi tamen hujusmodi Perduellibus  
imponatur, exponitur manifesto illorum derifui,  
& contemptui: Id quod Christus Dominus ad  
vivum expressit verbis illis, *ne forte cultent*  
*eas pedibus suis:* Et ulterius accedent in iisdem  
mavis odium, & rabiem aduersus Ecclesiam: id  
quod Christus non minus graphicè descriptis ver-  
bis illis aliis, *& conversi disrumpant vos.*

## §. 6.

*Objectio quædam contra prædicta refolvitur.*

**N**on diſſimulabo hic, quod contra ſuperius  
diſputata de Tridentini mente militare vi-  
deatur Reſponſum Sacrae Congregationis 19. Ju-  
nii anni 1602., quod refert Illuſtrissimus Domi-  
nus Aſſessor S. Officii in ſuis accuratiſſimiſ Foliis  
art. 2. ſub initium. Nam juxta reſponſum illud  
Matrimonia Hæreticorum foederati Belgii decla-  
rantur invalida, inhærendo ſimili præcedenti re-  
ſolutioni Sac. Congregationis Concilii, quæ cum  
ſit legitima Interpres Concilii ejusdem, corruere  
videtur quæ ſunt allata ſuperius pro valore ex  
ejuſdem Concilii mente.

Ut

Ut gravi huic in speciem oppositioni solidè satisfiat, sufficiet advertere ad tempus dati responsi- nempe ad annum 1602. Porro dicto tempore non, dum amissa spes erat eas Provincias reducendi sub Catholici Regis Dominium, quemadmodum ex Historia compertum est. Vigente autem hujusmodi spe prudenter Sacra Congregatio censere potuit nondum factum esse locum casui excepto juxta regulas Epichejæ superius consideratas.

Primo enim necdum eo tempore videbatur consummata moralis impossibilitas conversionis illorum Populorum, cuiusmodi impossibilitas facit casum exceptum juxta secundam regulam Epichejæ, de qua dicebamus §. 2. Neque verò sine causa ibidem adnotavimus judicium de hujusmodi impossibilitate non esse privato cuique relinquendum. Jure igitur suo S. Congreg. censere potuit ejusmodi impossibilitati nondum eo tempore factum esse locum.

Secundo nondum pariter videbantur perfecta, atque ut sic loquar, in suo adhuc lumine colloca- ta duo illa Indicia, quæ produximus §. 4. & 5., dum tertiam Epichjæ regulam urgeremus. Non primum Indicium<sup>1</sup>, quia nimirum inconveniens relinquendi tantisper Hæreticos absque veris Matrimoniis, interim dum spes affulgebat eosdem ad Catholicæ Matris sinum revocandi, non videbatur adhuc tanti ponderis esse, quanti illud erat, quod Tridentinum evitandum omnino censuerat; Videtur enim à Tridentino habita ratio eorum Hæreticorum, quorum conversio desperata jam esset. Non item Secundum Indicium, quia censi potuit publicatione Concilii in Belgio facta affici pru- denter,

denter, & ligari potuisse etiam illarum partium Hæreticos, adhuc sub Dominio Hispanorum, & non extra spem positos redeundi ad Ecclesiam: qua spe non amissa, jam prodesse illis obligatio poterat, neque prævidebatur certò, & unicè noxia illis futura. Et idcirco de hoc Indicio dum agerem, apposui clausulam illam, *nisi forte ad tempus, quo ad scilicet spes illos ad Ecclesiam rediendi aliqua relicta est.*

Postea verò quam extincta spes omnis fuit eorumdem Hæreticorum reducendorum, præser-tim postea quam sui Juris per Fœdus Monasterien-sē unā cum suis Provinciis evaserunt, atque adeo postea quam ad eum statum pervenerunt, quo in statu reperiebantur Anglia, Scotia, Dania &c, tempore Tridentini, sapientissimè eadem Sacra Congregatio manum retraxit ab hac tabula, neque unquam amplius respondisse comperitur, si sicut antiquiore illo tempore responderat. Unde si percurrantur Resolutiones ab Illustrissimo Do-mino Secretario productæ, nulla occurret poste-rior dicto tempore resolutio pro nullitate Matri-monii inter partes ambas Acatholicas, sed inter eas tantum, quarum una Catholica, altera verò Acatholica esset.

Quapropter post ita insigniter mutatum rerum statum, locus meritò factus est Disputationibus Doctorum circâ valorem, vel nullitatem conju-giorum ejusmodi. Et nos pro valore sentientes, locum censemus factum jam esse prænotatis Epi-chejæ regulis, quas non ad priora illa tempora, sed ad posteriora, & maximè ad hodiernum ea-rum Provinciarum systema accommodavimus, in coque

eoque easdem regulas vim efficacissimam existimamus habere ad probandum, quod casus, de quo disputamus, ex mente ipsa Tridentini censeri possit, ac debeat exceptus à lege.

## P A R S   S E C U N D A

### §. 7.

*Observantur generatim aliqua de consuetudine abrogativa Humanæ Legis.*

**H**uc usque in vestigavi mentem Tridentini ex Regulis Epichejæ. Progredior nunc ad investigandam mentem subsequentis Ecclesiæ ex Regulis consuetudinis. Sed juvabit aliqua prius generatim adnotare:

Primo. Consuetudinem aliquam habere vim humanæ legis abrogandæ, res est indubitata ex utroque Jure civili, & Canonico.

Secundo. Ad hujusmodi consuetudinem debet concurrere ex parte Populi frequentia diurna actuum contra Legem, unde ostendatur Legem non amplius utilem multitudini esse: Ex parte vero Principis, cuius unius est sicut ferre, ita revocare Legem, debet concurrere consensus eamdem revocandi.

Tertio. Quod attinet ad Populi contra legem actus, illud in primis necessarium semper est, quod actus illi de se, & seclusa humana Lege, pravis non sint, hoc est neque naturali, neque Divino Juri contrarii sint: quippe contra hæc Jura nunquam intrare potest abrogatio. Præterea iidem actus fieri possunt vel mala fide, quatenus videlicet culpabiliter lex aut non recipitur, aut recepta viola-

violatur: vel bona fide, quatenus fortassis occurrat rationabilis aliqua excusatio à Legis observantia.

Quartò. Quod verò ad Principis consensum attinet, ille potest esse Personalis, & quidem modo expressus, modo tacitus vel Juridicus, nempe jam antecedenter expressus in Jure aliquo.

Quintò. Hinc tres consuetudinis species omnes, & singulæ ad legem abrogandam utiles, passim apud Doctores per vulgatae sunt. Prima procedit per actus mala fide contra legem positos, quorum diuturnæ frequentiæ accedit denique tacitus consensus Principis; Optimè enim docuit S. Thomæ 1. 2. quæst. 97. art. 3. ad tertium Ipsa consuetudo in tali multitudine prævalens obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere: Ex hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit. Et Angelici vestigiis inhærens Suarez. de legibus lib. 6. cap. 18. num. 20. observavit: Ex ipsa duricie Populi, licet irrationali, resultat respectu Principis moralis causa, Et ratio, ut possit judicari prudens revocatio legis; Tunc enim potest presumi connivenzia, Et abrogatio ex parte Principis tacentis, Et tolerantis, quia tunc jam abrogatio justa est. Secunda species consuetudinis procedit itidem per actus positos mala fide, sed qua non obstante reperiantur in consuetudine duæ illæ conditiones, quas requirit caput ultim. de consuet. scilicet quod sit rationalis, Et legitimè præscripta. Positis autem duabus hisce conditionibus, jam huic consuetudini accedit consensus juridicus Principis in isto ipso cap. ultim. de consuet. generaliter expressus.

Tertia

Tertia species procedit per actus bona fide factos,  
& simul per duaram prædictarum conditionum  
concursum, quo stante, non potest <sup>non</sup> accedere  
præfatus consensus juridicus Principis.

Sextò. In unaquaque ex prædictis tribus consuetudinis speciebus debet semper inveniri rationabilitas, ut conducere possint ad abrogandam legem. Verumtamen in nulla ex illis requiritur rationabilitas ex eo desumpta, quod actus consuetudinem componentes non sint contra legem illam humanam, ad quam abrogandam tendunt. Repugnat enim in terminis, quod sit consuetudo contra legem, & quod actus illam componentes non sint contra legem. Quare nulla consuetudo contra legem esse posset rationabilis, & proinde nullam vim haberet abrogandæ legis, id quod falsum esse constat ex utroque Jure civili, & Canonicō, ut initio diximus. Igitur rationabilitas consuetudinis consideranda semper est, secludendo mente nostra legem illam, contra quam consuetudo tendit.

Post hæc prænotata difficile non esset ostendere, quod in casu nostro prædictæ tres consuetudinis species concurrunt omnes, & singulæ pro valore probando Matrimoniorum, de quibus in præsenti dubio disputatur. Neque vero temere in auxilium advocarem tam Primam, quam Secundam speciem consuetudinis, quando plurimi, & præclarissimi tum Theologi, tum Canonistæ utramque approbant tanquam efficacem ad humanae legis abrogationem inducendam. Neque etiam deessent argumenta ab exemplis non paucis. Si enim Eminentissimi Domini oculos paulisper circumfe-

cumferant per tot varias Reipublicæ Christianæ Regiones facile incident in plures leges etiam Canonicas in hac vel illa Regione vel non receptas, vel post receptionem per subsequentem non usum, aut etiam per usum contrarium ita jam collapsas, ut durum planè videatur culpa hodie damnare Populos, atque in his Viros quoque cæteroquin probos, & timoratæ conscientiæ, qui eas amplius non observant post longævam jam, & communem contrariam consuetudinem. Et tamen non ubique hujusmodi consuetudinum initia saltem sine peccato fuerunt.

Nec quod spectat ad particularem casum nostrum, multum momenti reponendum esse credem in ea oppositione, quæ ferè unica objici potest; videlicet quod Hæreticorum in præsenti Articulo contraria consuetudo originem ducat suam ex eorumdem adversùs Ecclesiam odio, & contemptu; Nam præterquam quod multa sparsim in superioribus datâ operâ profeminavi, quæ vires hujus Oppositionis plurimum extenuant; considerandum insuper est, quantò mitius Ecclesia telegerere soleat erga Hæreticos Nationales, quos unos præfens negotium tangit, quam erga illos, qui ex personali perfidia Catholicam Fidem, in qua nati, & educati prius fuerant, turpissimè deserunt, & abjurant. Quâ pariter de causa discrete adeo, & clementer agit Ecclesia cum Græcis, aliisque per Orientem Schismaticis, iisdemque hæresi non una infectis, quamvis non minore illi odio Romanam Ecclesiam prosequantur, quam Hæretici Batavi.

*Accedit in casu, quod Ecclesia ut tacitum consentium*

fensum ad legis Tridentinæ relaxationem adjungat, causas habet benè multas longissimè remotas ab omni specie favoris Hæreticis illis præstandi. Puta arcere mala gravissima alias ei Catholicæ Missioni obventura. Viam complanare errantibus ad veram Fidem: Divinum præcipuè honorem illæsum servare ab infinito numero scelerum ex innumeris Concubinatibus pullulantium &c.

Cæterum ne longior fiat hæc Dissertatio, quæ videri jam nimis prolixa potest; prætereo priores duas consuetudinis species, & tertią dumtaxat utor, quâ vel rigidioribus Expositoribus laudato capit. ultim. de consuet. satisfieri posse videatur.

### §. 8.

*Proponitur consuetudo ad casum præsentem faciens.*

Principio ponatur ante oculos Decretalis Gregorii IX. cap. ult. de consuet. ibi -- *Licet longeva consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel furi positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè præscripta.*

Atque hic placeat obiter observare, quod primi, qui Commentarios ediderunt in Decretalium quinque libros sub memorato Gregorio IX. compilatos, ac editos, fuere insignes illi duo sub Gregorio ipso florentes, scilicet Innocentius IV., qui eidem Gregorio post Cœlestini IV. brevissimum dierum dumtaxat decem, & septem Pontificatum successit in Petri Cathedra, & Innocentius contemporaneus Henricus de Segusia, vulgo Ostiensis dictus. Et Innocentius quidem in suo

commentario in laudatam decretalem, ne consuetudo sit irrationabilis, hoc uno contentus est, quod à Jure non improbetur: Ut verò sit legitimè præscripta, nil inquirit aliud, quām lapsum 40. annorum. Quis rogo melius intellexerit sensum vocis *Præscriptæ* in ea Decretali, quām dictus Innocentius in eo Dignitatis gradu Gregorio Decretalis Authori per idem tempus assistens? Ostiensis verò in Cap. *Ex parte eod. tit. V. consuetudines* ait: *Utrum sit rationabilis, vel non, relinquo iudici, cum nec Regula posset tradi.* Et paulò inferius -- *Generaliter est irrationabilis, ubicumque per fūs expressum reprobatur, vel alias est iniqua* -- Quid verò sit esse præscriptam, ibidem tantum explicat per lapsus 40. annorum. Idem Ostiensis in cap. *ultim. de consuetud.* multis evidenter demonstrat præscriptionem consuetudinis longissimè discrepare à Præscriptione strictè, & propriè dicta, qualis est, ubi agitur de præscribendo rei dominio. Quocirca inter alia discrimina hoc tradit - *In præscriptione requiritur titulus, & bona Fides, sed in consuetudine non requireo nisi usum, & tempus completum.* Horum ego duorum tantæ Doctrinæ, & nominis Virorum sub ipso Gregorio viventium in ejusdem Gregorii recentissimam Decretalem Commentarios pluris faciam, quām sequentium Expositorum, si qui sunt, qui aliter explicant.

Nihilominus in consuetudine, quam produco, multo plus invenitur, quām illi duo Canonistarum facile Principes requirant.

Igitur consuetudo, de qua loquor, est Praxis ab Episcopo Castoriensi Vicario per Hollandiam Aposto-

Apostolico inducta, juxta quam Matrimonia Hæretorum Belgii fœderati inter se, tametsi præter formam legis Tridentinæ contracta, judicantur valida: Quare si Conjuges ab Hæresi ad Fidem Catholicam postea revertantur, non jubentur iterum ad formam Concilii conjungi, sed tanquam validè conjuncti admittuntur ad reliqua Sacramenta. Hæc Praxis incæpit saltem ante annum 1680. Et de illa in facto constat tum ex Batavia Sacra, tum ex relatione per Theodorum de Cok Clementi XI. exhibita, ut Illustrissimus Dominus Assessor in suis Foliis testatur; tum denique ex moderna Relatione Eminentissimi Domini de Alsatia.

Jam verò huic Praxi in primis non deest prima conditio, quod nempe sit rationabilis. Primò enim Tridentinum Decreto suo, qua parte Matrimonium clandestinum irritat, nullam apposuit clausulam reprobativam consuetudinis contrariæ, si qua forte in posterum irrepereret. Secundò ea Praxis rationabilis est tam ex parte materiæ, quam ex parte Authoris Praxis ejusdem.

Ex parte quidem materiæ, quia materia hujus Praxis est valere re ipsa Matrimonium factum coram Testibus, licet non coram Parocho. Hujusmodi autem Matrimonium secundum se spectatum, & seclusa Tridentini lege, est rationabile, quia nullam de se turpitudinem continet neque contra Jus naturale, neque contra Jus Divinum. Et patet à fortiori ex Matrimonio clandestino, quod secundum se Jure tam naturali, quam Divino validum fuit per tot secula ante Tridentinum, & nunc quoque validum est in iis Regionibus, ubi Tridentinum non est publicatum. Patet insuper,

quia validè contrahere coram Testibus, quin requiratur præsens Parochus, potest esse materia legis rationabilis. Et sanè in ipso Tridetino ita præparatum antea Decretum fuerat ( teste Pallavicino lib. 22. cap. 4. propè initium ) ut Matrimonium celebrari deberet coram tribus Testibus, nulla Parochi mentione facta. Quod Decretum nemini unquam in mentem venit impugnare tamquam statuens materiam irrationalabilem ex eo præcisè, quod Parochi præsentia non requirebatur,

Ex parte verò Authoris, Praxis eadem rationabilis est; quia Castoriensis gravibus rationibus ad eam Praxim inducendum permoveri potuit, tum nimirum rationibus illis directis, quæ tot celebres Authores moverunt, ut ea Matrimonia valere censerent; tum rationibus aliis reflexis publicum bonum Missionis Hollandiæ respicientibus.

Addo eam Praxim non solum continere actus utcumque rationabiles, sed actus propemodum judiciales. Reipsa enim Praxis hæc continet Judicia constanter continuata in Officio Vicariatus illius Apostolici, quibus prædicta Matrimonia valida judicantur, & declarantur. Quare Praxis hæc formavit jam stylum omnium Ecclesiastico-rum Tribunalium illius Apostolici Vicariatus, qui latè protenditur per integrum Ecclesiasticam Provinciam constantem ex Archiepiscopatu Ultrajectensi, & quinque aliis Episcopatibus suffraganeis. Porro vulgatum est plus roboris, & virium in esse consuetudini diuturnæ actuum Judicialium, quam actuum à solis privatis frequentatorum.

Deinde eidem Praxi non deest secunda condi-

tio

tio, quod scilicet sit legitimè præscripta. Nam si præscriptionem hanc unicè collocamus in lapsu 40. annorum, quemadmodum collocandam audivimus ab Innocentio, & Ostiensi, quos communissimè posteri sequuntur; Jam in casu habemus lapsum annorum 60., & amplius. Si verò juxta severiora quorundam placita eam Præscriptionem regulare pro materia capacitate velimus ad normam Præscriptionis propriè talis Dominiorum; etiam ad normam illam hæc Praxis præcripta dicenda est. Etenim non deest bona fides, & titulus, quæ duo desiderari possent ad normam assequendam Præscriptionis illius strictè. & propriè dictæ.

Ac de bona fide Castoriensis Episcopi, qui eam Praxim post Viros doctos tum Romæ, tum alibi consultos invexit, minimè dubitare licet. Ambigendum pariter nullo modo est de bona eorum fide, qui Castoriensis exemplo, & mandatis præeuntibus, eamdem deinceps Praxim constanter ad hanc usque diem observarunt tam Vicarii Apostolici, quam Provicarii, Parochi, Missionarii planè omnes.

Titulum verò, qualis in subjectam materiam cadere potest, facile dabit Dignitas ipsa, & munus legimi in universa illa Ecclesiastica Provincia Pastoris, & Judicis, quâ Dignitate, ac munere Castoriensis pollebat. Adjuncta insuper sin minus veritate (de qua nunc non laboro) at certè existimatione communi non consultæ modo hac super re Apostolicæ Sedis (ut re ipsa consulta fuit ex foliis Illustrissimi Assessoris) verùm etiam ita respondentis, ut ipsius Castoriensis arbitrio statuen-

dum reliquerit, quod crederet Animarum sibi creditarum saluti maximè expedire. Jam verò ex his omnibus sufficiens consurgit titulus partim certò verus, partim saltem coloratus, vel existimatus. Cujusmodi titulum ad Præscriptionem ipsam Dominii sufficere communis est, & per vulgata Doctrina; quemadmodum de colorato tradunt omnes, ac dumtaxat etiam existimato latè probat ex Legibus, & ex communi Juristarum *Hannoldus de justit. tract. 5. cap. 2. controv. 3.*

Quæ cum ita sint, nihil amplius desiderari posse videtur, ut prædictæ consuetudini dicantur inesse duæ illæ conditiones *Rationabilis*, & *Præscripta*. Concurrentibus autem duabus hisce conditionibus jam ex dispositione *cap. ultim. de consuet.* habetur totum id, quod Pontifex in consuetudine requirit, ut possit Juri positivo præjudicium generare. Quamobrem ejusmodi consuetudini censetur eo ipso accessisse consensus Juridicus Pontificis generaliter in isto ipso Cap. expressus, quo perficiuntur consuetudinis vires ad illud præjudicium generandum. Atque hac ratione, & viâ legem quamlibet consuetudine ritè abrogari, communis est, & valdè recepta *Sententia*: idque etiamsi Princeps interim ejusmodi particularem consuetudinem fortasse nesciat.

Sed ut iis quoque satisfiat, qui consensu isto juridico parum contenti, auctiore quodam ingenio requirunt consensum personalem tacitum Principis, de hoc etiam in nostro casu pauca dicamus.

Atque, ut hinc exordiar, non deest supradictæ *Praxis Scientia apud Apostolicam Sedem*. Nam

ut

ut omittam illam fuisse desertis verbis significatam Clementi XI. in Relatione Theodori de Cok. ut Illustrissimus Assessor refert, constat vel ex una Hollandiæ Matrimoniorum inter Resolutiones videnda, multo etiam ante fuisse eam Praxim ad S. Congregationem relatam, quin imo fuisse eidem expositum, quod eadem Praxis adversari videtur antiquiori ejusdem S. Congregationis Responso de anno 1602. vel 1603. Quo circa de hujus Praxis apud Sedem Apostolicam scientia dubitare non possumus.

Ad scientiam autem accessit tolerantia. Quamvis enim in prædicta causa Holland. Matrim. anni 1681., & in altera Boscoducensi Matrim. anni 1683. Sacra Congregatio dixerit, si respondendum esset, esse negativè respondendum, in primis nescio, ant tunc id responsum negativum fuerit re ipsa datum. Si enim datum non fuit, Sedes Apostolica potius abstinuit à resistendo, quam restitit. Deinde id responsum visum est percutere dumtaxat *Matrimonia Catholicorum cum Heterodoxis*, ut patet ex dubio in dicta Holland. Matrim. proposito. Denique tametsi ex dubiis in dicta Boscoducensi propositis videatur idem responsum ad Matrimonia pariter Hæreticorum debuisse pretendi, advertendum tamen est ejusmodi responsa contigisse sub exordio Praxis à Castoriensi introductæ, quæ nihilominus suum cursum tenuit, atque ad hodiernum usque diem viguit, ac viget per annos jam amplius, quam quadraginta, etiamsi ejus initium à tempore responsa illa subsecuto numerare quis velit. Quò quidem temporis cursu vestigium appet nullum resistentiæ Sedis Apo-

stolicæ quoad præsentem Articulum Matrimonii  
inter Conjuges Hæréticos celebrati.

Verùm nec intra meros tolerantiae limites sub-  
stitisse Sedes Apostolica videtur. Taceo hic hu-  
jus rei indicia, quæ subministrare posset tum Re-  
sponsum S. Congregationis ac iphius met Casto-  
riensis dubia anno 1671. in foliis Illustrissimi  
Assessoris relatum; Tum responsum alterum, quo  
Castoriensis affirmabat sibi dictum, ut statueret  
ipse, quod crederet animarum sibi creditarum sa-  
luti maximè expedire. Unum satis habeo Indi-  
cium considerandum proponere, quod resultat  
*ex Responsis toties iteratis, iisdemque Clementis*  
etiam XI. Judicio comprobatis, sicut ex accura-  
tissima Illustrissimi Assessoris narratione cognosci-  
mus. Etenim *Eminentissimi PP. jusserunt non se-  
mel Vicarini Apostolicum pro tempore, seu Mis-  
sionarios prudenter se gerere, & juxta probatorum*  
*Authorum Doctrinam.* Quæ verba ipsissima sunt  
Responsi S. Congregationis de Propaganda Fide  
Theodoro de Cok redditio anno 1704. cui respon-  
so reliqua concinere idem Illustrissimus Assessor  
sapienter animadvertisit.

Jam verò hoc super responso tria breviter ob-  
servare non pigeat.

Primò. Eminentissimi PP. ita dum responde-  
rent, optimè sciebant quam Praxim jam dudum  
Vicarii, & Missionarii illi servarent: Sciebant in-  
ter tot Authores alioquin probatos, quorum illi  
Authorum sententiam maximè sequerentur,  
nempe stantem pro valore: Prævidebant denique  
*ex hoc responsi genere futurum ut illi potius in sua*  
*Praxi confirmarentur, quam ab illa recederent, id*  
quod

quod & eventus semper comprobaverat. Jam verò in his circumstantiis ita nihilominus Sac. Congregationem respondere, non videtur præcisè tolerare, sed aliquo verò modò fovere prædictam Praxim.

Secundò. Alexander III. *Cap. Super eo de Cognat. Spirit.* ad Episcopum Vigiliensem rescribens, vult in Quæstione de Impedimentis etiam dirimentibus rationem haberi maximam Consuetudinis particularis, sive Praxis Ecclesiæ Metropolitanæ, & aliarum circumpositorum, licet ea Praxis contre Jus commune jam esset. Mox eidem Episcopo jubet, ut quoddam Matrimonium pro irrito habeat, si obstat videat earum Ecclesiarum Consuetudinem : Si verò videat non obstat, præcipit, ut id Matrimonium permittat quidem, sed non approbet. Ne autem permisso censeretur approbativa; Sic quomodo se gerat, illum Pontifex instruit : *Dissimulare poteris, inquit, ita quod nec contradicere, nec tuum videaris præstare assensum.... cum posset sic in exemplum assumi.* Tolerantiam igitur merè permissivam, & non approbativam in eo reponit, quod neque contradicat, neque assentiri videatur, adeo ut non posset in exemplum assumi. At ponamus, quod hoc alio modo Alexander rescripsisset ; *Si dicta consuetudo non obstat, adhibe probatos Consiliarios, & juxta eorum consilium te gere, approbando Matrimonium, si & ipsi approbent.* Profectò Alexander hoc alio modo respondens, non injunxit Episcopo tolerantiam, quæ approbativa non esset, & quæ trahi in exemplum non posset. Quapropter ipsamet Alexandri III. Responsio non censeretur

M 5

pura,

pura, & pura tolerantia ejusdem Matrimonii, sed illius tacita approbatio, dummodo tamen Episcopus Instructionem sibi à Pontifice traditam ad unguem servaret. At hujus secundi generis fuit Responsum toties à Sede Apostolica suis per Hollandiam Ecclesiasticis Ministris inculcatum. Non illa sanè respondit : *Dissimulare poteritis*, ita quod nec contradicere, nec assensum præstare videamini, ne sic possit in exemplum assumi. At respondit : *Consulte probatos Authores*, & juxta eorum Doctrinam, si Matrimonia ista Hæreticorum sine Parocho facta pro validis habeant, vos quoque illa pro validis habetote. Hoc enim significat Responsum relatuum.

Tertiò. Hujusmodi respondendi genus alias à Sede Apostolica usurpatum in hac ipsa materia Matrimonii, ejusque Impedimentorum habitum fuit passim à Doctoribus instar tacitæ approbationis, imo etiam implicitæ Dispensationis super Impedimento, quod Juris dumtaxat humani esset, si forte contingenteret id impedimentum re vera subesse. Affero exemplum in Responso per Urbanum VIII. dato ad supplicationem à Cardinali de Lugo ex aratam super Matrimoniis Neophitorum in Paroquia, cuius responsi Doctores multi meminere ; ut nominatim potest legi fusè deductum apud Cardenas in Crisi Propositionum ab Innocentio XI. prescriptarum ad Proposit. I. Dissert. 2. Cap. 8. Artic. 5. Summa Responsi Urbani hæc fuit : Non videri speciali sua Dispensatione opus esse ; sed ubi Doctorum sententiæ utrinque probabiles intercederent, posse sequi opiniones pro conditione Iocorum, ac Hominum Barbaris favorabiliores. Hoc respon-

responsum re ipsa huic alteri æquivalet , scilicet ut se gererent juxta Doctrinam probatorum Authorum. Porro in eo Urbani responso claudi, ac veluti delitescere tacitam Pontificis quæ declarationem, quæ Dispensationem pro valore Matrimoniorum, quæ ad ejus Responsi normam contraherentur, sensere qui de illo scripserunt Doctores , quemadmodum cognosci potest ex laudato *Cardenas ibi art. 3. & seqq. usque ad 12.* Ubi non omitem referre gratia quædam hujus Authoris verba ex *Artic. 11. num. 612.* in fine : *Sic ea, inquit, Matrimonia (scilicet contracta juxta responsum) non essent certò valida, manerent exposita frustrationi.* Quod autem Pontifex consultus in retam gravi, decreverit Matrimonia fieri, quæ remanerent exposita frustrationi, nefas est credere. Hæc illa pro ea, qua pars est reverentia, de Sedis Apostolicæ Decretis & sentiens, & loquens. Simile autem absurdum ut removeatur ab hujusmodi Sanctæ Sedis Responsis , rectè præsumitur Pontifex regulam illam se gerendi Ministris suis tradens simul implicitè ex parte sua supplere, si quid opus fuerit ad valorem Matrimoniorum , quæ juxta talem regulam judicarentur ab iisdem Ministris ut valida : præsertim quando defectus valoris unicè timeri potest à sola dispositione Juris humani , cuius relaxatio est in Potestate Pontificis. Parco hic similia exempla producere in aliis materiis , veluti e. g. Si Judex Ecclesiasticus super Dubio aliquo circa suam Jurisdictionem exorto Pontificem consuleret , atque hic responderet : Ipse met resolvere Dubium juxta probatorum Scriptorum Doctrinam , & juxta illam procede. Præsumeretur procul dubio Pontifex Jurisdictionem

nem supplere, sicubi verè deficeret, dummodo ad norman responsi Judex ille se gereret &c.

## C O N C L U S I O.

**E**x hac tenus disputatis mea quidem sententia videtur concludi rationabiliter posse, quod Matrimonia in praesenti Dubio proposita censenda sint valida. Fundamentum autem hujus resolutionis hoc esse censeo, quod valor satis colligi videatur partim ex mente Tridentini, partim ex mente subsequentis Ecclesiæ: quia scilicet mentem Tridentini introspectando, videtur hic Casus potius exceptus à Lege, quam inclusus; & intuendo similiiter Ecclesiæ subsequentis mentem, videtur jam ejus consensus accessisse pro Legis ejusdem relaxatione, quatenus relaxatione opus foret.

Ad majorem autem resolutionis tum securitatem, tum dignitatem audeo proponere, quod Resolutio non sic videatur rotundè concipienda: *Ad primum Dubium affirmativè;* Sed hoc alio potius cautiore modo, nempe *Ad Mentem*, & Mens est, ut Episcopo Ippensi detur Instructio, qua dicatur: Quo ad Matrimonia inter se ab Hæreticis in Belgio Fœderato præter Tridentini formam contracta, si contingat utrumque vel alterutrum Conjugem ad Ecclesiam Catholicam reverti, posse in praecedenti Matrimonio relinquī, & ad reliqua Ecclesiæ Sacraenta etiam admitti. Hæc autem resolutio ad Sanctissimum referenda erit, atque ejus Approbatio, si ita Sanctitati Suæ videbitur, expectanda. Posita verò Sanctitatis Suæ approbatione, quam tamen opus non erit in Instructione exprimere, jam supradicta Instructio satis superque erit,

erit, ut certò denique arguatur adesse jam tacitum Sanctæ Sedis consensum quoad valorem ejusmodi Conjugiorum. Proinde super his omnis in posterum anxietas, & molesta dubitatio conquiescat. Ita censeo, simul Judicium hoc meum Eminentissimis Patribus, & Sanctæ Sedi ex animo, & sincerè submittens.

*Dominicus Turano Soc. Jesu.*

Super Dubio Secundo, Tertio, & Quarto.

§. 1.

*De Secundo Dubio.*

**D**E hoc secundo Dubio non aliter judicandum existimo, quam de primo: Nam revera in primo illud implicari, & includi patet fiet ex dicendis. Inhærendu igitur primi Dubii resolutioni.

Ad secundum pariter respondendum censeo affirmativè. Ratio est, quia loci differentia, quâ unâ casus primi Dubii ab hujus secundi casu discriminatur, censenda est, quantum ad præfens Institutum attinet, purè materialis. Non aliter materiale censetur loci discriminem; si hæc alia quæstio proponeretur, utrum ejusmodi Matrimonia valeant in exercitu ex Batavis Hæreticis collecto, & ex Fœderati Belgii finibus in exterias Terras egresso. Profectò istius Quæstionis resolutio meritò omnibus videretur inclusa in primi nostri Dubii resolutione. Etenim exercitus ille, sive intra sive extra patrii soli limites incedens, æque pergit pars esse Reipublicæ illius, & sicut mutatione illâ loci nihil illi deperit de omnimoda sub Reipublicæ Dominio subjectione,

ita

ita nihil imminuitur de Gubernatione secundum ejusdem Reipublicæ leges : secum proinde sicut obedientiam, ita regimen suæ Reipublicæ exercitus ille circumfert.

Idem planè sentiendum de Legionibus prædiariis, de quibus in hoc secundo Dubio fit sermo. Illæ siquidem in Præsidiorum locis juxta conventiones in Pace Ultrajecten. firmatur, permanent sub Dominio Hollandicæ Reipublicæ, ejusdem legibus, ac moribus gubernantur, & reipsa constituunt quasdam parvulas Civitates, seu Cætus tam Imperii Hollandici proprios, quam propria sunt reliquorum Subditorum Cætus intrâ ipsius Hollandicæ confinia confidentes. Ur proinde hodie Hollandicum Imperium ultrâ veteres terminos ad sua in condicis locis disposita Præsidia protendantur. Sunt ergo ea Præsidia pars Hollandicæ Reipublicæ, & una cum interioribus ejus partibus unam, eandemque Communitatem comprehendunt. Quamobrem non aliter de his, aliter de illis partibus censendum est, sed sicut de Communitate universa censetur, ita de singulis ejus partibus, sive his, sive illis, censi necesse est.

Hinc primò cessat omnis necessitas discutiendi, utrum Prædiarii illi Milites habendi sint tamquam simplices Advenæ in suis quisque locis; An verò tamquam ii, qui Domicilium, vel quasi Domicilium ibidem acquirant. Cessat & necessitas statuendi, quænam aliis præferenda opinio sit in ea celebri disputatione de obligatione Advenarum, & Peregrinorum in locis, per quæ transeunt, vel in quibus brevi morantur, quam disputationem latissimè inter alios tractat *de Bene de Immunit.*

cap.

cap. 11., & 12. Cessat, inquam, omnis ejusmodi labor, & cura. Nam in hypothesi Præfidiariæ Legiones Jure novo ex Principum Supremorum dispositionibus orto non sequuntur locorum leges, & regimen, sed sicuti sub suæ Reipublicæ Dominio, ac Gubernatione, ita sub ejusdem legibus, ac moribus vivunt. Quo circà frustra in præsenti laboraremus de vocabulis Advenarum, vel Incolarum, Domicilii, quasi Domicilii &c.

Hinc secundo locum in præsenti non habent Doctrinæ de Advenis, & Peregrinis capita illa duo, in quibus frequentissimè Doctores conveniunt, & si in aliis capitibus minimè consentiunt. Alterum, quod Advena tenetur in loco præceptis Juris communis, etiamsi in sua Patria eorum obligatio minimè fortasse vigeat, dummodo vigeat in loco. Alterum, quod tenetur Advena legibus loci, fin minus quoad alia, certè tamen quoad contractus. Non habent, inquam, hæc locum in præsenti, quoniam Legiones memoratae ex prædicto novo Jure quoad omnia suis patriis legibus, ac moribus ita reguntur, tanquam si intrà suam Patriam forent. Sunt enim, ut notavi, una eademque Communitas. Communitatis itaque suæ vinculis tenentur, sive de Jure communi, sive de contractibus agatur; dummodo tamen actiones spectentur, quas inter se mutuò exercent ejusdem Communitatis partes. Nam quid dicendum, si quis ex eadem Communitate cum extraneo ab eodem agat, in aliis Dubiis examinandum proponitur.

Hinc tertio deducitur resolutio undecimi Dubii, quæ parte respicit Matrimonia ab iisdem Hæreticis Batavis invicem contracta in Civitate Mosæ Traje-

Trajectensi. Nam ibi quoque suis legibus vivunt, Imo quod ad ita vivendum attinet, Jure suo ibidem non aliter se habent, quam si eam Civitatem titulo Dominii, non solius oppignorationis possiderent. Quæ igitur de locis Præsidiorum dicta sunt, à fortiori de Civitate Mosæ Trajectensi procedunt. Unum tamen advertendum quo ad præsens Dubium judico. Cum in eo sermo fiat de Hæreticis addictis Legionibus, id non esse intelligendum dumtaxat de rigorosè addictis, hoc est descripto in albo Militum, sed latius de iis omnibus, qui unum Cœtum ibidem conflant legibus Hollandiæ viventem, ut nimirum comprehendam famulos, famulisque, & alias quasvis Personas inibi cum Legione Præsidiaria unum facientes. Totum enim istum Populum, ac Cœtum ibidem agentem, & solius Reipublicæ legibus gubernari solitum judico ob allatam rationem à lege Tridentina, quamvis in loco vigeat, solutum æquè, ac liberum, sicuti si intrà Hollandiæ fines versaretur.

### §. 2. *De Tertio Dubio.*

**A**D Tertium, in quo quæritur de Matrimonio in locis Præsidiorum inter unam comparatem Hæreticam de Cœtu Præsidii, & inter alteram pariter Hæreticam, sed non de illo Cœtu comparatem, quam propterea brevitatis gratiâ vocabo Partem extraneam. Dico attendendam esse hujus extranæ Partis conditionem, hoc est utrum illa de se, & seponendo Conjugium cum Parte præsidiaria copulandum reperiatur eo in loco soluta à Tridentini lege, ad effectum contrahendi

cum

cum quavis altera hæretica parte (quod quomodo contingere possit in resolutione sequentis Dubii indicabitur) : An verò non ita soluta reperiatur. Si primum validè contrahet, Tridentini formâ non servatâ, cum Parte Hæretica ad Præsidium Batavum spectante ; Si secundum invalidè cum eadem sic contrahet. Ratio primæ partis est manifesta. Nam cur Hæreticus præsidiarius magis in eo loco ligabitur Tridentino Decreto, quam alius quivis Hæreticus. Ratio secundæ partis est, quia nihil speciale cogitari potest in Præsidiario hæretico Batavo, cur in ejus gratiam Pars illa extranea, cæteroquin juxta hypothesim Tridentina lege obstricta ab ejusdem obligatione solvatur.

Opponetur forsitan primò, quod juxta resolutionem primi, ac secundi Dubii Præsidiarius Hæreticus Tridentini lege non tenetur. Ergo ligamen hoc censebitur sublatum etiam quoad comparatem alteram : quemadmodum Dispensatione uni ex contrahentibus concessâ super affinitate E. G., impedimentum sublatum quo ad unum censetur eo ipso sublatum quoad alterum.

Sed respondeo longè disparem esse rationem de Impedimentis consistentibus in relatione unius ad alterum, ac de impedimento, quod oritur ex Tridentina lege. Affinitas E. G., quæ est unius ad alterum purus quidam ordo, ac relatio, statim indivisibiliter tota perit, sive desinat solus terminus, sive solùm fundamentum, sive sola fundandi ratio, ut notum est Logicis. Quare si ex parte Titii sublata est affinitas cum Berta, nequit non esse simul sublata ex parte Bertæ cum Titio; quippe possibile non est, quod Titius desinat

N

esse

esse affinis Bertæ, & Berta pergit esse affinis Titii, sicut possibile non est, quod Paries A definat esse similis Parieti B, & Paries B pergit nihilofecius esse similis Parieti A. At verò in quibusdam aliis Impedimentis non ita se res habet. Titius E.G., quo cum fuerit dispensatum super proprio simplici Castitatis voto, non idcirco liber erit ad contrahendum cum Berta simili voto ligata. Et ut exempla in Impedimentis dirimentibus offeram, Titius E.G. Subdiaconus ex aliqua gravissima, & publica Causa dispensatus super solemnni Castitatis voto ad effectum contrahendi Matrimonium, non propereà liber erit ad contrahendum cum Berta Moniali simili constricta voto. Infidelis etiam, ut pote qui foris est, legi Ecclesiasticae irritanti Nuptias Baptizati cum minimè Baptizato, nequaquam subjicitur: sed non ideo validè contrahet cum Baptizata, quasi verò eidem communicare valeat suam ab ea lege Ecclesiastica libertatem.

Ad hoc porro Secundum genus spectat solutio à Tridentino Decreto, quam Hæreticis Hollandis concedit Primi, & Secundi dubii decisio. Et ratio est, quia sicuti dispensatio super voto concessa Titio intelligitur concessa quoad compartes à tali voto solutas, & sicuti libertas Viri Infidelis intelligitur à Deo concessa quoad alias compartes similiter liberas, idest non baptizatas: Ita Immunitas Hæretici Batavi à Tridentini Decreto ex Ecclesiæ benigna intentione intelligitur dumtaxat concessa quo ad alias compartes similiter immunes, puta quoad compartes Hæreticas Hollandici Populi, quæ pariter ex eadem Ecclesiæ benignitate soluta à Tridentini obligatione reperiuntur. Quapropter

propter hoc firmum esse debet, & inconcussum, Ecclesiam in Tridentinæ Legis relaxatione non indefinitely, & universaliter prædictis Hæreticis indulgere, sed intrâ hos tantum Cancellos, ut nimirum inter se validè contrahant absque Tridentini Forma. Quo posito Indulto, quisquis ex ea Republica Hæreticus cum alia Hæretica ejusdem Republicæ contrahit, idem semper contrahet cum parte soluta à Tridentini lege. Nunquam autem indulsisse censenda Ecclesia est, ut validè contrahant cum alia comparte, sive Catholica, sive Hæretica, quæ alioquin perseveret sub ligamine Tridentinæ legis. Neque verò, quæ prolixè super Primo Dubio disputavimus, aliud evincunt, quam Ecclesiæ Indultum prædictis limitibus circumscriptum.

Adde, quod si adeo indefinite esset libertas Hæretici Batavi, sequeretur, eum validè contractum in Italia E. G., vel Hispania cum quavis loci Catholica, Tridentini Formâ non servatâ. Quod nemo dixerit ne de Anglis quidem, aut Danis E. G. Hæreticis, in quibus cæteroquin solutio à Tridentini vinculo evidentiorem habet, & quodammodo firmiorem, quam in Batavis, radicem. In illis enim oritur ex omnimodo defectu publicationis Tridentini suis in Regionibus.

Opponetur Secundò. In casu præsenti locum habere posse Doctrinam illam certam, & exploratam, quod sponsa E. G., in cuius Parochia Tridentinum obliget, validè contrahet in Parochia sponsi absque Tridentini Forma, si forte in sponsa Parochia Tridentinum utpotè in ea non publicatum, non obliget. Ita igitur in præsenti extranea

illa compars Hæretica, quamvis alioquin contin-  
gat eamdem Tridentina lege ligari, in Parochia  
sua Catholica, in qua degit, poterit nihil ominus  
validè contrahere absque Tridentini Forma cum  
comparte Hæretica spectante ad Præsidium Bata-  
vum, quippe quod censetur veluti diversa Paro-  
chia, in qua Tridentinum non obligat.

Sed respondeo istud de Præsidio constitente  
Parochiam à loci Parochiis diversam non esse ex-  
istimandum in casu, nisi merum figmentum. Quæ  
enim legitima potestas istam Parochiam erexit;  
An Ministellus illius legionis verus est Pastor, &  
legitimus Parochus? Veritas hæc una est, quod  
illi legionarii Hæretici, utpote qui ratione bap-  
tismalis characteris Ecclesiæ Catholicæ subjecti  
sunt, consequenter sunt subjecti Parocho legitimi-  
mo loci ad instar aliorum quorumcumque intrà  
Parochiæ illius Catholicæ fines existentium. Id  
quod tamen verum est loquendo de Batavis per ea  
præsidia dispersis, quam de iisdem intrà sui Belgii  
fines collectis. Neque enim hi veras Parochias in  
ipsa Hollandia constant à Catholicorum Parochiis  
distinctas, sed de Jure Divino, atque humano suo  
quiique Catholicò Parocho subsunt, intrà cujus  
Parochiæ limites commorantur. Hoc unum illis  
ex benigna Ecclesiæ voluntate concessum esse ex-  
istimandum est, ut non obstante vera illorum erga  
Catholicos Parochos subjectione, habeantur ta-  
men pro validis Matrimonia invicem inter ipsos,  
Parochis licet absentibus, contracta.

Quocirca dum Scriptores aliqui Catholicí, quo-  
rum Illustrissimus Secretarius in adnot. num. 27.  
meminit, dixerunt binas considerari debere distinctas

Paro-

Paræcias in loco , ubi mixti Catholicæ Hæreticis commorantur , alteram Catholicorum , Hæreticorum alteram , iidem non aliud dicere voluisse intelligendi sunt , quæm imaginatione quadam nostra cætum Hæreticorum ibi considerari à nobis posse quasi Paræciam distinctam à cætu Catholicorum , idque ad hunc tantummodo effectum , ut publicationis Tridentini decreti in isto particulari Hæreticorum cætu defectus æquivalere censeatur defectui publicationis in una aliqua Paræcia . Hoc solùm Viros doctos voluisse arbitrabor : De Hæreticis enim veram Parochiam conflantibus seorsum à Catholicis ne cogitasse quidem illos existimo . Jam verò fallacissimè ex istiusmodi æquivalentia Parochiæ imaginariæ in ordine ad unum effectum progrederemur ad aliam æquivalentiam constituendam in ordine ad alium effectum sine speciali urgentissimo fundamento pro nova ista æquivalentiæ extensione .

Firmum igitur mihi , & persuasum est , sicut Hæreticorum in iis locis cætus veram distinctam Parochiam non constituit , ita transeuntem ad cætum illum non transire ad Parochiam ullam distinctam : atque adeò in præsentî tamen non habere locum doctrinam nobis objectam , quæm locum non habet vera distincta Parochia , & consequenter nec ad veram distinctam Parochiam transitus .

### §. 3.

#### *De Quarto Dubio.*

UT hoc Dubium ad Matrimonia Hæreticorum Fœderati Belgii revocem , cogitabo partes duas , quarum neutra legionibus præsidariis ad-

N 3

dicta

dicta sit, advenisse in Præsidii Batavi locum è Patriis  
Fœderati Belgii Terris.

Dico jam duos istos Batavos eodem in numero  
censendos esse, quo in numero censerentur vel duo  
Hæretici Angli, Dani &c. in eumdem istum locum  
commigrantes, vel isto duo iidem Batavi, si alibi  
inter Catholicos versarentur, puta Ulyssipone, in  
portu Liburno &c.

Igitur, vel in loco, ubi ex hypothesi Tridentina  
**Sanctio** viget, obtinuit forsitan consuetudo ali-  
qua rationabilis, & præscripta, vel Ecclesiæ tacito  
consensu nixa, ut Hæretici istic degentes (sive In-  
culæ sint, sive quasi Incolæ, sive meri advenæ)  
permittantur more patrio absque formâ Tridentini  
contrahere. Vel nulla ibi obtinet ejusmodi con-  
suetudo. Si primum, validum erit in casu præsen-  
tis dubii duorum Batavorum sine Tridentini formâ  
conjugium. Si secundum, erit invalidum. Ratio  
primæ partis est, quia præsupposita consuetudo  
tām suffragabitur Hæreticis Batavis, quām aliis  
alterius cuiuslibet Nationis. Ratio secundæ Par-  
tis est, quia tunc vim suam totam exerit Dispositio  
Juris Communis in loco ex hypothesi vigens, uti  
videlicet in materia saltem contractuum teneantur  
legibus in loco florentibus non Incolæ modò, &  
quasi Incolæ, verām etiam Advenæ, & Peregrini:  
prout fert communissima sententia fundata in utro-  
que Jure, & nominatim in *Cap. fin. de For. compet.*  
Quemadmodum ergo alii quilibet Hæretici Ma-  
trimonio ibi sese validè conjungere non possent  
præter loci leges, & multò minus possent, si ex-  
dem leges ad Jus commune spectent; ita neque  
Batavi poterunt. Quid enim Causæ sit, cum Ba-  
tavi

tavi Hæretici eo in loco cæteris Hæreticis præstent.

Dices id esse Causæ, cur ibi præstent, quia ibi supponitur adesse Batavum Præsidium, quod loci legibus non tenetur.

Sed respondeo quod ibi Præsidium adsit, conferre quidem ad hoc potest, ut duo illi Batavi illuc advecti facilius reduci possint ad componendum unum moraliter commune, sive unum, eundemque cum illo Præsidio Populum Loci legibus exemptum, & patriis tantum Juribus viventem. Ad quam unitatem si redacti illi fuerint (vel si ex consuetudine censeantur redacti, statim ac ibi sunt) tunc non pertinent ad hoc Dubium, sed ad secundum, de quo suo loco jam diximus. Si verò intacta servetur hypothesis Dubii præsentis, quod nempe illi duo Hæretici Batavi, quamvis in loco Præsidii suæ Nationis existentes, nulla tamen ratione ad ejus Præsidii Cætum pertineant; tunc nihil refert, quod in loco Præsidium reperiatur. Quoniam enim ex hypotesi ad id Præsidium nullatenus spectant, unicè spectabunt ad Civitatem ipsam exteram, vel tamquam Incolæ, aut quasi Incolæ, vel tanquam advenæ, prout fuerint. Supereft igitur, ut recurratur ad Consuetudinem, si qua ibi sit, valori Conjugiorum ejusmodi faventem. Et sanè alias alibi hac in re consuetudines obtinuisse, legi potest apud Gobat. *Theol. experim. Tract. 9. Cas. 18. a. n. 467.*

Ex quibus jam intelligi potest præsens Dubium longè spatioius manere, quam ejus litera præferat. Pertinet enim latissimè ad omnes cuiuslibet Nationis Hæreticos in locis Catholicorum suo

more Connubia jungentes, puta Gadibus, Ulissipone, in Portu Liburno, aliisque id genus Catholicorum Emporiis, ubi nec pauci Hæretici, nec ad breve tempus commorantur. Sed de talibus Connubiis generatim disputare neque hujus loci est, neque levis esset, & brevis labor: Evidem eo me sentio vehementer impelli, ut eorum valori si nondum centeatur accessisse tacitus Ecclesiæ consensus, exoptem denique accedere, ne innumeri Concubinatus multiplicentur maximo cum detimento honoris Divini. Neque verò agrè ad hanc rem accommodari possent pleraque considerationes ex iis, quas de primò Dubio agens exposui. Verum diutiùs hic non im morabor utpote in Argumento ad disputandum minimè proposito. Ita censeo, ac Judicium hoc meum Eminentissimis Patribus, ac Sanctæ Sedi submitto.

*Dominicus Turano Soc. Jesu.  
Super Quinto Dubio & reliquis.*

§. I.

*De Quinto Dubio.*

**A**D quintum, quod similiter ac Primum, præcipuum in hac Causa est, videtur negativè respondendum. Ratio mihi est, quia nihil solidum, ac firmum invenio, quod persuadeat valorem Matrimoniorum ejusmodi, quæ brevitatis gratiâ mixta vocabo, utpote inter partem Catholicam, & Acatholicam contracta.

Itaque id genus Matrimoniois, neque suffragantur ea, quæ in primo Dubio de Mente Tridentini disputavi pro valore Matrimonii inter utrumque Hære-

Hæreticum initi; neque quæ pro valore ibidem  
scripsi de Mente, ac voluntate subsequentis Ec-  
clesiæ. Cumque fundamentum resolutionis om-  
nis pro valore in tota hac Causa existimem desumi  
oportere ex intentione Ecclesiæ; idcirco destitui  
me sentio, atque profiteor omni efficaci ratione  
pro eo valore tuendo.

Non igitur hisce Matrimoniis suffragantur ea,  
quæ de Tridentini Mente loco citato differui.  
Ostendi enim à Tridentini Mente alienum fuisse,  
primò remedium concupiscentiæ, naturali, ac  
Divino Jure hominibus concessum, ad maximam  
difficultatem, seu moralem impossibilitatem redi-  
gere, & coartare: secundò integros Populos, ac  
Gentes quantumvis Hæresi infectas absque veris  
Matrimoniis relinquere: tertio lege sua, ejusve  
prima, ac nova obligatione affici velle Hæreticos  
jam pridem ab Ecclesia Catholica publicè segregati-  
tos. Ast horum nihil locum habet in Matrimo-  
niis utriusque, vel alterutrius Catholici, uti per  
se clarum, atque perspicuum est.

Addo nunc ventilatam in illustrissimi Secretarii  
Adnotationibus de primæva publicatione dubita-  
tionem, meo quidem judicio, adminiculi non  
contemnendi loco esse posse pro valore Matrimo-  
nii utriusque Hæretici Conjugis: Catholicis verò  
nihil prædelle posse. Quidlibet enim placeat con-  
stituere de certa, vel dubia primæva Publicatio-  
ne: Quoad Catholicos tamen præsumendum est  
illam sub Apostolicis Vicariis saltem supervenisse.  
Tum quia tot indicia reluent Publicationis sub  
Sasboldo, & Rovenio pro Catholicis instauratae,  
ut de illa mihi constare videatur: Quæ indicia col-

N s

ligo

ligo ex Sasboldi quibusdam Canonibus relatis in Batavia Sacra pag. 67., & nominatim ex Canone XVI., item ex Dica Ordinum Fœderatorum contra eumdem Sasboldum edita 16. pag. 51., nec non ex unâ, & alterâ Rovenii Pastorali ibid. pag. 85., & 107. ex Dica adversus eumdem publicata pag. 81. denique tam ex Const. Alexandri VII. incip. *Salvatoris*, quâm ex decretis S. C. de Prop. Fid. ibidem legendis pag. 95., & 463. Tum quia constat quoad Catholicos in diuturna observantia ibidem fuisse Decretum Tridentinum, ut proinde ex hujusmodi observantiâ ejus Publicatio præsumenda sit juxta Resol. S. C. in una Poloniæ, & in alia Indiarum Orient. inter resolutiones ab Illustrissimo Secretario productas.

Sed neque his mixtis Matrimoniis suffragari sat is videntur, quæ super primo Dubio dixi de Mente, ac Intentione subsequentis post Tridentinum Ecclesiæ. Evidet fateor Præxim Castrensis initio plurimum commovisse me, ut crederem his quoque mixtis Matrimoniis illam favere. Sed re diu, & penitus consideratâ, & documentis insuper accendentibus, quæ Illustrissimus Assessor exprompsit, acquiescere tandem non potui, ut favere crederem.

Non deest quidem in illa Praxi, seu consuetudine conditio prima in cap. ult. de Consuet. requisita, scilicet quod sit *rationabilis*. Quamquam enim nubere Catholicam cum Hæretico sit contrarium non modò Ecclesiastico Juri, verum etiam ut plurimum Juri Naturali, ac Divino propter frequentissimum periculum subversionis Catholicæ Conjugis, pravæ educationis Filiorum &c., Ni-

hilo-

hilominus rationabilitas non est quærenda in actu ipso ita nubendi secundum se spectato; Sed in eo quod tali actui, etsi de se illico, dicatur inesse valor. Quare duæ Quæstiones solerter distinguendæ sunt, prima an rationabile sit Catholicam Hæretico nubere, secunda An rationabile sit actui isti quamvis per se illico, valorem attribuere. Primum potest negari; at si inul potest tutò affirmari Secundum; etenim notum est non raro Legislatores rationabilissimè impertiri valorem actibus quoque de se cæteroquin illicitis. Ita Parochus titulo non vero, sed colorato cum errore communi gaudens illicitè plures actus exercet, at validè Ecclesia scilicet valorem benignè supplente. Ita Confessarius excommunicatus toleratus illicitæ absoluīt, sed validè; Ecclesia isti quoque illicitè absolutioni non licentiam tribuente, sed valorem. Ita Nuptiæ Clandestinæ fuere semper ante Tridentinum illicitæ, & tamen validæ. Ita, ne à præsenti argumento discedam, Connubium Catholicæ cum Hæretico, tametsi coram vero Parrocho celebretur, illicitum est, sed validum, atque ejus valorem sæpè S. Congregationem agnoscisse, ac declarasse rationabilissimum fuit. Ut taceam nunc de Christo ipso Domino Sacrilegis ipsis pravorum Ministrorum Sacramentalibus actionibus valorem ultrò largiente. Sed res hæc clarior est, quam ut pluribus confirmari oporteat. Atque hac de causa cum in primo Dubio de Matrimoniis ab Heterodoxis inter se ritu Hæretico peractis loquerer, & simul ostenderem Castoriensis quoad illa praxim rationabilem esse ex parte Materiarum; rationabilitatem non in actu ipso nubendi ritu

ritu hæretico reponebam cum probè intelligerent  
eum actum sacrilegè ab Hæreticis fieri, sed in eo  
quod in tali actu, quamvis per se illicito, valo-  
agnoscatur.

Jam verò praxis eadem, qua parte nunc Catho-  
lici cum Acatholico Nuptias respicit, non in eo  
vertitur, quod illas pro licitis habeat; imo verò  
eadem semper Episcopus Castoriensis detestatus  
est, ac pro viribus evellere studuit, sed in eo  
tantùm, quod in iis Nuptiis valorem agnoscant,  
quem valorem in illis secundum se, & seclusa Tri-  
dentini lege spectatis agnoscere, nullatenus irra-  
tionabile est. Conditio ergo rationabilitatis huic  
praxi procul dubio non deest.

Neque deesse videtur eidem altera conditio, ni-  
mirum quod sit *præscripta*, si modo præscriptionis  
hujus nomine cum probatissimis Theologicis, &  
Canonistis non aliud intelligamus, nisi lapsus an-  
norum 40. Revera enim ea praxis per totidem, &  
amplius annos obtinuit etiam quo ad mixta hæc  
Matrimonia.

Tota difficultas consistit in consensu Summi  
Pontificis, sine quo consuetudo nulla robur ac-  
quirere unquam valet ad præjudicium Juri positi-  
vo Canonico generandum. At verò quoad hunc  
articulum Matrimonii Partis Catholicæ cum Aca-  
tholica in Provinciis fœderatis contracti destituta  
illa mihi praxis videtur consensu Personalis etiam  
tacito, imo & tolerantiâ ipsâ S. Sedis. Quo per-  
sonali consensu ita deficiente, consensus quoque  
Juridicus deficiat, necesse est. Cum enim consensus  
Juridicus nihil sit aliud, quam consensus in aliquo  
Jure præstitus; si contingat Principem pro tem-  
pore

pore viventem expressè hic, & nunc resistere aliqui consuetudini, perinde erit ac si consensum in Jure à suo æquali præstitum revocaret quoad istam consuetudinem: ideoque consensus ille Juridicus non amplius moraliter perseverat, id quod necesse omnino foret, ut isti consuetudini vires præberet.

Quod autem praxis prædicta in hoc articulo destituta videatur consensu personali etiam tacito, imò & tolerantiâ Sedis Apostolicæ manifestè deduci videtur ex contrariis eidem praxi resolutionibus à S. C. non jam ante 40. tantum annos ( quæ præscriptioni praxis consequentis minimè officerent ) sed recentiùs emanatis. Quare antiquioribus aliis resolutionibus prætermissis, duas accipio, alteram anni 1720. à S. C. S. Officii editam, quam in suis foliis prope finem Illustrissimus Assessor adducit, & in qua dissertissimè decretum fuit, *Matrimonium prædictum uti non contractum coram proprio Parocho esse nullum.* Alteram anni 1728. à S. C. Concilii emissam in Colonien., quæ postrema est inter resolutiones ab Illustrissimo Secretario collectas. In utraque resolutione agitur de Matrimonio mixto Catholicam inter, & Acatholica partem intra Fœderati Belgii fines celebrato. In utraque ex defectu Parochi legitimi Matrimonium decernitur nullum, & irritum. Utraque igitur adversâ fronte pugnat cum Castoriensis præxi Matrimonia hujusmodi habenti pro validis.

Non ignoro responderi nonnulla posse protuendo ejusdem praxis robore, nequicquam obstantibus laudatis resolutionibus. Sed meâ quidem sententiâ ejusmodi sunt, in quibus quiete re animus non possit. Breviter illa, quæ in mentem veniunt, propono. Primò.

Primò. Dicent utramque allatam resolutionem procedere de Catholicis exteris , priorem de Italo , posteriorem de Juliacensi ; Non autem de Catholicis Fœderatorum Ordinum subditis , de quibus agit præsens Dubium quintum.

Secundò. Prior resolutio anni 1720. potius respicit Matrimonium inter duas partes Catholicas , quām inter unam Catholicam , alteram Hæreticam . Mulier enim se Catholicam finxerat. Quare pro externo foro id Matrimonium videtur fuisse judicandum tanquam inter duos Catholicos celebratum.

Tertiò. Posterior resolutio anni 1728. prodūit sub illo modo , *Ex deductis*. Non videtur autem deducta fuisse inter utriusque partis momenta praxis Castorian. Forsitan aliud movit Sacram Congregationem , quām absentia Parochi , puta quod illa Catholica Juliacensis in fraudem , ut sine Tridentini forma contraheret ; in Hollandiam fortasse transierit , vel quid simile.

Quartò. Praxis Castorian. æquè respicit Nuptias inter partes hæreticas duas , ac inter hæreticam unam , alteram Catholicam . Si ergo non claudicat quo ad primam partem , ut nos in primo Dubio diximus , neque dicenda est claudicare quoad secundam ; vel si quoad hanc claudicat , etiam quoad illam.

Quintò. Responsa S.C. toties iterata , quibus jussi Vicarii sunt , prudenter se gerere , & juxta probatorum Authorum Doctrinam , generalia pariter sunt , neque magis cadunt super Matrimonium utriusque Hæretici , quām super Matrimonium alterutrius Catholicus . Imò præcipue super hæc

hæc mixta Matrimonia cadunt. De his enim præcipua Sanctæ Sedi Quæstio proponebatur, ut apparebit consideranti Dubia, & responsa, illud præsertim, quod Teste Illustrissimo Assessore sub Clemente XI. prodit anno 1711. Si ergo opinione etiam nostra in iis Responsis latet tacitus Sanctæ Sedis Consensus pro priorum Valore, cur non etiam pro Valore posteriorum?

Sextò. Ex Theophylo Raynaudo per Illustrissimum Secretarium allegato n. 53. Resolutiones S. C. inhœrent sensui legis, prout à Legislatore lata est, non tangunt autem contrariam præscriptionem, si qua interea contra eamdem Legem decurrat: Non enim Eminentissimi PP. agunt partes Legislatorum, sed Interpretum.

Septimò. Hujusmodi Resolutiones facilè fuerint ignoratae in Hollandia: Non enim pro Urbe, & Orbe publicantur, sed tanquam pro singularibus casibus editæ traduntur duntaxat Partibus. Accedit, quod etiamsi Hollandis Catholicis innovissent; cum tamen sint Resolutiones procedentes in casu, nec rationes vulgentur, quibus S. C. ad sic resolvendum movetur, potuissent illi cogitare non propter Parochi absentiam, sed ob aliam ex peculiaribus Casus circumstantiis erutam Causam ea Matrimonia irrita declarata. Ex quo sequitur non obstantibus prædictis Resolutionibus potuisse adhuc præscriptionem inchoatam adversus Legem currere, & non interrumpi. Et sane Doctores de Præscriptionis interruptione agentes tradunt tunc illam interrumpi *naturaliter*, quando post illam ritè inchoatam cessat vel bona fides, vel titulus, vel Possessio, vel capacitas Personæ:

tunc

tunc verò interumpi *civiliter*, quando contrà præscribentem pronuntiatur sententia condemnatoria, vel prodit in medium Contestatio litis, vel citatio &c. Nihil autem hujusmodi videtur intervenisse virtute prædictarum Resolutionum, ut idcirco præscriptio contra Tridentinam Legem, apud Catholicos Hollandos per Castorien, Praxim inchoata, censenda sit sublata, vel interrupta.

Ad primum tamen Respondeo, Italum illum in Belgio Fœderato Militiæ adscriptum acquisivisse verum ibidem Domicilium, quod confirmatur ex subsequente Septennii ibidem habitatione. Incola igitur erat perinde ac alias quibus Catholicus ibi ortus: proinde nihil intererat inter ipsum, & alios subditos Catholicos, quantum ad validè, vel invalidè contrahendas Nuptias attinebat. De Muliere Juliacensi idem colligitur ex figura Casus in illa Colonien. propositi.

Ad secundum veritas est, quod illa Mulier erat Hæretica, atque ut talis fuit considerata in Decisi. Laud. S. Officii: huic post declaratum irritum Matrimonium statim S. C. subjunxit hæc verba: *Ceterum Matrimonium à Catholicō cum Hæretico contractum quamvis illicitum, fore validum, si fuisset coram proprio Parocho contractum.*

Ad tertium parum verecundè allegaretur in Eminentissimis Patribus vel Ignorantia, vel inadvertentia Praxis Castorien., quam toties Sedi Apostolicæ notificatam fuisse certissimum est. Quamvis ergo in deductis non appareat mentio ejus Praxis, si tamen Eminentissimi PP. ejusdem alias consciī, censuissent illius rationem habendam, non rescripsissent Officiali Colonien., ut

Annæ

Annæ ad alia vota transitus permitteretur. Quod verò addebatur de aliis forsan decidendi Causis à Parochi absentia diversis merè divinando dicitur, & insuper ex attentâ lectione totius Seriei Causæ planè refellitur.

Ad quartum Mirum non est sicuti leges, ita & consuetudines in materia omnino dividua subsistere quo ad unam Materiæ partem posse, non verò quoad alteram. Praxis Castorian. in Articulo Matrimonii Hæreticorum inter se nullam habet tempore debito contra se resistentiam Sanctæ Sedis, cumque aliundè cæteras conditiones à Jure requisitas habeat, non potest non roborari consensu Juridico Principis, ut suo loco vidimus. In articulo verò Matrimoniorum alterutrius Catholici habet contra se claram Sanctæ Sedis resistentiam. Quid mirum quod firma esse possit quoad unum Articulum, non verò quoad alterum? Accedente insuper notissima Reg. 37. de Reg. Jur. in 6. *utile non debet per inutile vitiari.*

Ad quintum incumbit responsum attentè considerantibus accipere illud commoda cum distributione, atque discernere, Utri ex duabus Conjugiorum speciebus accedat ex eo responso tacitus pro valore consensus. Si quoad unam speciem adverterint militare expressam contradictionem, ac resistentiam S. Sedis; concludere debent ejusdem Sanctæ Sedis non tacitum modò consensum, sed tolerantiam quoque desiderari, & consequenter ne juridico quidem consensui locum relinqu, ut superius ostendimus. Pro tali ergo specie restat, ut Responsum accommodetur, quatenus prudentiam se gerendi præscribit, quam ipsam prudentiam

tiam probati Authores dirigunt, puta ut relin-  
quatur Pars Catholica, vel non relinquatur in bo-  
na fide, prout res tulerit, & prout iidem Autho-  
res faciendum docent. Si verò quoad aliam Ma-  
trimoniorum speciem concurrere omnia viderint,  
quæ valori suffragantur; pro illa specie rectè con-  
cludenti colligi ex eo Responso tacitum Sanctæ Se-  
dis pro valore suffragium. Accedit quod Responsi  
tenor sic habet; *ut juxta probatorum Auctorum  
Doctrinam sive ( ut significantius in Responso sub  
Clemente XI. dicitur ) juxta probatam Auctorum  
Doctrinam se gerant.* At verò Doctrina de valore  
Matrimonii inter partem Catholicam, & Acatho-  
licam sine Forma Tridentina initi, præterquam  
quod non ita multis Auctoribus probatur, ipsa  
per se judicari probata quomodo poterit, dum ei-  
dem S. C. resolutiones apertè repugnant?

Ad sextum, & septimum una est, & commu-  
nis Responso: minus rectè, ( ut super primo Du-  
bio differentes ex Ostensiensi demonstravimus )  
consuetudinem cum stricta Dominii præscriptione  
confundi. Inter utriusque discrimina illud capi-  
tale est, quod in Dominii præscriptione non at-  
tenditur voluntas veri Domini; imo illo quan-  
tumvis invito præscribitur, si reliqua non desint.  
Sed in consuetudine principalissimè attenditur vo-  
luntas Principis, sine qua lex sicut poni, ita tolli  
non potest. Et ratio ulterior est, quia Domi-  
nium in Præscriptione acquiritur ex dispositione  
supremi Principis, qui invito etiam privato Do-  
mino Dominium transfert in aliud propter bo-  
num commune, ut vulgatum est apud Scribentes  
de Præscriptione. In consuetudine verò agitur

de

de ipso supremo Principe , & Legislatore ; ac proinde non datur alia superior Potestas, cuius virtute consuetudo prævaleat contra Legislatoris voluntatem. Hoc autem posito , quoties constituit de Apostolicæ Sedis voluntate Praxi alicui , seu consuetudini resistente , toties constabit de Praxis ejusdem imbecillitate ad legem Canonicam abrogandam. Atqui in casu ita se res habet , ergo &c. Quod verò ex S. C. contrariis dictæ consuetudini resolutionibus unâ , eâdemque Operâ constet de Papæ voluntate eidem consuetudini contrariâ , tam certum esse debet , quâm certum est Testem Pontificiæ voluntatis meliorem esse posse neminem , quâm S. C. seu S. Officii , seu Concilii , per cuius utriusque Organum sensus Apostolicæ Sedis his in rebus patescere , atque innotescere solerentur. Cadunt proinde omnia , quæ in sexto , & septimo argumento congregabantur. Nam quod de Resolutionum apud Batavos ignorantia dicebatur , utile quidem esse potest ad excusandam culpam , non verò ad Legem irritantem , Papa dissentiente , abrogandam. Id quod in hac ipsa materia notissimum est : Dum enim aliquis ex ignorantia quamcumlibet insuperabili , seu Facti , seu Juris , Matrimonium contrahit cum impedimento aliquo dirimente ; liberari quidem à culpa poterit , validè verò contrahere non poterit. Hæc pro veritate dixerim , & Juris rigore servato. Cæterùm utrum expeditat de hoc rigore remittere , Prudentiæ Eminentissimorum Patrum erit judicare. Illud est certum Ecclesiam quam maximè detestari Matrimonia hæc mixta Catholicorum cum Hæreticis : qua de re nervosè , ac fusè disputat *Eminentissimus*

minus Petra in suis doctissimis Commentariis tom. 4,  
ad Constit. Joannis XXII. Cum nonnulli. Utrum  
autem in casu gravissimæ Causæ concurrant indul-  
gendi, ut prædictis Matrimoniis tacitus denique  
Sanctissimi Domini consensus valorem adjungat,  
idem Eminentissimi Patres considerabunt: Mihi  
enim hujusmodi Causæ non innotescunt.

### §. 2.

#### *De Reliquis Dubiis.*

**E**X data ad quintum responsione ultrò descendit  
negativa responsio ad sextum, septimum,  
octavum, nonum, decimum, & ad undecimum  
Dubium, quâ parte hoc postremum de Mixtis Ma-  
trimoniis quærit. Nam qua parte de Hæretico-  
rum inter se Conjugiis in ea Civitate Mosæ Traje-  
ctensi agit, jam affirmativè respondi in Resolu-  
tione Dubii secundi.

Illud tantum hic observabo, Breve Urbani VIII.  
Incip. *Exponi Nobis* ad Archiep. Colonien. 14. Au-  
gusti anno 1627. datum, alio respicere, quam  
ut ad proposita Dubia resolvenda trahi possit. Ete-  
nim Urbanus loquitur de Incolis Loci, ubi Tri-  
dentinum est promulgatum, transeuntibus ad Lo-  
ca, ubi promulgatum non est. Quare terminum  
*ad quem* supponit semper esse Locum, ubi Tri-  
dentinum non obligat. Mox distinguit, an eò  
transeat quis in fraudem, an non &c. In Fœde-  
rato autem Belgio Tridentinum Catholicos obli-  
gat. Quo circa si illuc se transferat Catholicus ex-  
terus, inveniet sese ibidem æquè ligatum Triden-  
tina Lege, ac reliquos Loci Catholicos. Si Hæ-  
reticus exterus illuc se transferat, inveniet ibi

Loc

Locū Catholicā ea Lēge ligatam. Terminus proinde ad quem in casu nostro est Locus, in quo Catholicī quique Tridentina Lēge tenentur. Nihil ergo huc attinet Urbani Decretum.

Ad duodecimum, denique ultimum Dubium quid sit dicendum, satis exposui in Conclusione post Dissertationem super Dubio primo. Ideoque quod ulterius addām, nihil supereſt.

Ita Censeo &c. submittens &c. ut supra &c.

Dominicus Turano Soc. Jesu.

# I.

## In Causa Iren. Visitationis Sacrorum Liminum.

CUM gravissimam, Eminentissimi Patres, de clandestinis Conjugiis in fœderatis Belgij Provinciis controversiam jamdiu ab eruditissimis Theologis agitatam, nunc verò peculiaribus studiis vestris, ac suffragiis propositam, tenuissimi ingenii mei viribus expendendam mihi demandastis: nulla me difficultas deterruit, quominus ad eum laborem ita omne meum studium, diligentiamque conferrem, ut nihil, quod ex hac imbecillitate proficiisci posse videretur, in singulis hujus causæ momentis discendiendis, desideraretis. Verùm, quoniam in quæstionibus omnino duodecim tota hujus controversiæ ratio continetur, duas quidem, quarum altera Hæreticorum inter se, altera Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia complectitur, cum longiorem à me disputationem postulare videantur, copiosus tractabo; reliquas verò, quippe his affines

O 3

cum

cum sint, & ex iis, quæ antea dicturus sum, nullo possint negotio concludi, in exiguum sanè unius disceptationis gyrum compellam.

## DISCEPTATIO PRIMA.

### Super Primo Dubio.

*An Matrimonia ab Hæreticis inter se in Locis fæderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis contracta, non servatâ forma Concilii Tridentini, censenda sint valida?*

#### §. I.

1. **E**cclæsticis Legibus quin astringantur Hæretici, dubitat nemo, cum enim & ipsi per Baptismi januam Ecclesiam ingressi sint, ita fiunt eidem subjecti, ut non magis se ab Ecclesiæ Jurisdictione, & imperio subtrahere, quam semipiternum Baptismi characterem delere possint, quod & liquet ex *Can. 56. Concil. Toletani 4.*, relato à *Gratiano dist. 45. Can. 5.* & cum communi confirmingant *Suarez de LL. lib. 4. cap. 19. num. 2. Layman. in cap. canonum. de Constit. n. 2.*, *Gonzal. in cap. 8. de Hæreticis num. 12.*, aliisque passim.

2. Hinc Tridentini Decreto *cap. 1. Seff. 24. de Reform. Matrim.* etiam Hæreticos in Locis, in quibus promulgatum fuit, degentes obligari, & conjugia, quæ contra Tridentini præscriptum iidem ineunt, omnino irrita esse, inferunt *Lessius in Auctuar. ad 1. 2. V. Præscriptio casu 1. Verfic. de Apostol. Mission. tit. 12. q. 174. sect. 1. § 4.*, *Gobat. Theolog. experim. tract. 9. casu 18. per totum,*

*Bossius*

Bossius de matrim. cap. 1. num. 78., Zoësius ad tit. de clandestinā desponsat. num. 25. Pignatelli Consult. 104. tom. 8., Laurentius Neesten. de Sacramentis tract. 8. q. 3. dub. 6., Opatovius de Sacramentis tract, de Matrim. disp. 2. q. 12. num. 108. Florentius de Coq. Theolog. tom. 4. cap. 12. Append. ad sect. 9., Veryvis in Pastorali Missionar. tract. 13. art. 1. Leurenius in 4. Decret. tit. 3. q. 146. num. 3., Schmier Jurisprudentia Canonico Civilis tom. 3. lib. 4. tract. 3. cap. 5. sect. 4. §. 1. num. 86. Reiffenstuel in Ius Canonicum tit. de Clandest. desponsat. num. 132. La Croix lib. 6. p. 3. num. 769. Suverts de Sacramentis Thesi ultima n. 2., Roncaglia de Sacramentis tract. 9. cap. 19. n. 37., Jo. Pontas in Dictionar. Cas. conscientie tom. 2. de Impedim. clandestin. cass. 23., aliquique plurimi, quibus faciem prætulit Sac. Congregatio Concilii, quæ 29. Januarii 1605. Episcopo Tricariensi Sedis Apostolicæ ad Belgas Legato rescripsit -- Hæreticos quoque, ubi Decretum Tridentini Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim. est promulgatum, tenerit alam formam observare: Et propterea etiam ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro Hæretico, vel Magistratu Loci contracta, nulla, atque irrita esse, -- sicuti testantur Zipæus tit. de Sponsal. num. 16., Diana p. 11. tract. 6. resolut. 1., Tambur. de matrim. lib. 8. tract. 6. cap. 2. §. 2. n. 12. Veryvis. cit. loco.

3. At si res ita se habeat, consequens est, ut hujusmodi Hæreticos perpetui concubinatus redarguamus, omnemque eorum sobolem illegitimam declaremus; Quod quam vehementer eorumdem animos exasperaret, quam gravem ad-

versus Catholicos Homines persecutionem excitaret, quām magnum in Romanam Ecclesiam odium crearet, & quām difficultem eorumdem redditum ad Ecclesiæ gremium efficeret, nemo est, qui non videat. Quare cum moneamur ab Augustino Epistola 50. detrahendum esse aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat - Atque à S. Leone in Epistola ad Rusticum Narbonensem, relata in *Can. fin. dist. 14.*... *Multa esse, quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione etatum, oporteat temperari,* -- operæ pretium erit Decreti Tridentini verba diligentius enucleare, ac Patrum, qui Sanctissimo illi Concilio interfuerunt, mentem penitus investigare, ut videamus, an eò nunc deventum sit, ut fœderati Belgii Hæretici, de quibus sermo est, ab hujusce Decreti severitate, quam verborum cortex præfert, eximendi sint, absque eo tamen, quod à vero, & genuino ejusdem sensu recedamus. Sed antequām id aggrediamur, quādam argumenta aliunde, quām à Concilii contextu, & Patrum mente petita, quibus multi DD. clandestina Hæreticorum matrimonia fulcire conantur, perpendere, & aestimare, in rem conductet nostram.

## §. 2.

4. **A**TQUE in ipso Quæstionis limine illud se nobis offert inquirendum, an reable in fœderatis Belgii Provinciis, priusquam ab Hispaniarum Rege, & avitâ Religione desciscerent, Tridentum Decretum, quo clandestina Matrimonia fiunt irrita, fuerit ritè per singulas Parochias promulgat.

mulgatum? Cum enim sine ea speciali promulgatione nullam hujusmodi Decretum obligationem inducere, Patres statuerint, si de illa quoquo modo prudenter dubitari contingeret, nullus controversi locus relinqueretur. Verum undenam dubitandi ratio peti possit, non intelligo, dum omnem dubitationi aditum praeccludunt Historica monumenta apud probatos Scriptores existantia, quorum summa haec est.

5. Postquam die 26. Januarii 1564. universa Concilii Tridentini acta, & Decreta à Summo Pontifice Pio IV. fuerant confirmata, eadem Philippus II. Hispaniarum Rex, ut Regem verè Catholicum decebat, per omnes suas Ditiones evulganda, ac religiosè observanda mandavit. Cumque res eum apud Hispanos, quem Philippus optabat, exitum nacta esset, negotium Margaritæ Parmensi tunc Belgii Gubernatrici datum est, ut idipsum in omnibus ei commissis Urbibus, ac Provinciis quam primum faciendum curaret. Metuit Magarita, ne ex Concilii publicatione novæ turbæ, & tumultus excitarentur in Provinciis illis, quæ jamdudum ab Hispanis deficere militæ erant; atque, ut maturè in re tanti momenti procederet, Episcoporum, & eorum, qui in celebrioribus Urbibus Magistratum gerebant, animos explorandos decrevit. Porro isti cum plurima inveteratis illorum Populorum moribus, consuetudinibus, ac privilegiis adversantia animadverterint, auctores Margaritæ fuerunt, ut vel Concilii promulgationi omnino supersederet, vel nonnulla ejusdem Decreta priùs temperaret. Hanc Episcoporum, & Magistratum sententiam Regi Philippo Marga-

O s rita

rita per Literas significavit, ad quem etiam eodem tempore Provinciarum Ordines Legatos miserunt, qui illum quā precibus, quā rationibus à proposito dimoverent, sin minus, ut Concilii publicationem in aliud differret tempus, persuaderent. Sed conatus ad irritum ceciderunt: nihil ab Rege imperatum est: Margaritæ enim, fixum est, respondit, & statutum, ut Concilium non secūs in Belgio, ac dudum in Hispaniis, sine ullâ exceptione publicetur, permitta dumtaxat in ejus usu perlevi aliqua moderatione. Quo responso perlatu, Gubernatrix, juxta constantem Regis voluntatem, Concilium simpliciter, & purè promulgari jussit, Famianus Strada de Bello Belgico dec. I. lib. 4., Cardinalis Bentivoglio delle Guerre di Fiandra lib. 2. pag. 26., & 27., Nicolaus Burghundius Hist. Belgicæ lib. 2. pag. 115., Joannes Meursio rerum Belgicarum lib. 1. pag. 10. Emmanuel de Meteren. dans. *L'Histoire des Pays.-Bas* lib. 2. pag. 39.

6. Regis, ac Gubernatricis mandatis morem fuisse continuò gestum, & Concilium per omnia latè Belgii loca divulgatum, asseveranter affirmant citt. Scriptores, sed luculentius Jacobus Revius in sua *Daventria illustrata* lib. 4. pag. 364. his verbis -- *Sub finem 1565. soluto jam Concilio Tridentino, voluit Majestas Regia, id ab omnibus suis recipi, & secundum illud ab unoquolibet res, ac rationes suas institui. Promulgatum hoc fuit per Ditiones, ac Civitates Universi Belgii* --; Idque probè novit Philippus, dum exeunte eodem anno 1565. Margaritæ hæc scripsit -- *Concilium Tridentinum jam est Belgis imperatum; superest, ut*

*Sacro-*

Sacrosanctis Concilii Legibus pareatur -- , ita testatur *Franciscus Haræus Annal. Belgic. pag. 34.* Delatae quidem ad Gubernatricem sunt plurimarum Urbium, præsertim Frisiæ , & Brabantia querimoniarum , si qua fides *Nicolao Burgundo pag. 116.*, & *jo. Meursio pag. 11.*, sed aliud impetrarunt nihil, nisi ut Margarita declararet , mentem Regis esse, ut Quilibet sua privilegia salva haberet , nec Tridentino , nisi in quantum ea ferrent , subjaceret, prout prosequitur cit. *Meursio.* Quænam autem fuerint ea jura , & privilegia, quæ ad pacem , & quietem Provinciarum servandam , integra , atque illæsa esse voluit Gubernatrix , singulatim recensent *Antonius Anselmus in Tribonianus Belgicus cap. 32.*, *Berthrandus Loth. in Resolut. Belgicis tract. 2. art. 9.*, & *Van-Espen. in Tract. Historico-Canonico p. 9. cap. 1. §. 3.*, eaque , ut apud hos Auctores videre licet , tantummodo respiciunt Regalia, seu Jura , ac Privilegia Regia , Jura Patronatus Laicis concessa , & Jurisdictionem laicalem ; quod perspicuo argumento est, cætera omnia fuisse non publicata modo , sed executioni etiam mandata.

7. Atque ut propriùs ad rem nostram accedamus , narrat supracitatus Jo : Meursio sub finem ejusdem anni 1565. Litteras à Parmensi datas, quibus cautum erat , In primis ut singulæ Belgii Urbes suo è Senatu certum Hominem feligerent sexto quoque mense permutandum , qui id solum animadverteret , an Tridentini decretis , præsertim à Parochis satisficeret : Deinde , ut in qualibet Parochia Curio constitueretur , qui percenseret, quot in ea Personæ habitarent : quando , & quando Matrimonia contraxissent &c. Hæc postrema

ma accuratissimi Historici verba sine dubio ad nostrum Decretum respiciunt, cuius promulgationem necessariò pro certa ponit Gubernatrix, dum tanto urget studio executionem.

8. Hinc porrò factum est, ut Dux Albanus, cui anno 1568. Belgicarum rerum habenæ traditæ sunt, de Concilii promulgatione, quam à Margarita ritè peractam existimavit, nihil sollicitus, unum etiam atque etiam curaverit, ut debita eidem obedientia deferretur. Ita Petrus Borrio *Annal. Belgie.* pag. 164. ibi -- *Albanus Dux Decreta Tridentini anno 1570.* executioni mandari jussit laudatus Emmanuel de Meteren. lib. 2. pag. 39. ibi -- *En l'an 1570. le Duc fit des nouvelles ordonnances, fit mettre en effect. les decrets du Concile de Trente,* - Auctor Bataviæ Sacrae p. 2. pag. 10. qui inferioribus quibusdam Präsulibus Ultrajectinis, cum peterent, ut de severitate publicatorum Concilii Decretorum, quibus eorum Jurisdictio non nihil minui videbatur, aliquantum remitteretur. *Sever, inquit, respondit Albanus, omnino gerendum morem esse, idque ita Regem velle -- .*

9. Hæc, quæ ex Historicis profanis excerpimus, licet perspicua sint, majorem adhuc lucem à monumentis Ecclesiasticis mutuantur. Omnes Belgii Provincias non ita pridem, anno scilicet 1559. Paulus IV. distribuerat in tres Archiepiscopatus, Mechlinensem, Ultrajectinum, & Cameracensem, ac quindecim Episcopatus, quorum sex subjecerat Archiepiscopo Mechlinensi, quinque Ultrajectino, & quatuor Cameracensi. Nicolaus Burgundus citata Historia lib. 1. pag. 46., Batavia Sacra p. 2. pag. 2. Meursio lib. 1. pag. 4. Ab omnibus

bus verò illarum Ecclesiarum Pastoribus fuisse Tridentini Decreta recepta, atque à singulis per suas Diæceses publicata, ex seqq. edocemur.

10. Et primò, quod ad Provincias, Mechlinensem, & Cameracensem (cum Provincias dico, Ecclesiasticas, secundum superiorem divisionem hic intelligo) quod, inquam, ad hasce Provincias attinet, planè certum hoc esse, existimo. Nam præterquamquod omnes illæ, excepta Diœcesi Sylvaducensi Provinciae Mechliniensis, quæ nunc Hæreticorum imperio substat, post varias vicissitudines subtractæ tandem fuerunt ab Hæreticorum servitute, & sub Catholicorum Principum potestate etiamnùm perseverant; scimus, mense Decembri Anni 1565. Maximilianum à Bergis Archiepiscopum Cameracensem omnium suorum Comprovincialium Episcoporum Synodus coegisse, in quâ quotquot aderant, in hoc convenerunt. Ut quidquid Oecumenicum Concilium Tridentinum statuisset, id Sacrosanctum omnibus esset, & inviolabile -- & tit. 15. cap. 13. circa Matrimonia sanxerunt -- Clandestina Matrimonia ut sunt ex Tridentini Concilii Decretis definita nulla, & irrita fore, Episcopi denuntient, aut denuntiari, carent, scilicet trigesimo post die, quam id proclamatum fuerit -- Idem evenisse novimus in Concilio Provinciali Mechlinensi celebrato anno 1570., sub cuius titulo de Sponsalibus cap. 1. legimus -- Cum Concilium Tridentinum Matrimonia clandestina annullet, & inhabilitet ad aliter contrahendum, quam secundum formam ab eodem Concilio descriptam, ex ordinatione ejusdem Concilii mandat

*Extant ambo in Collectione Harduini tom. 10.*

*mandat Pastoribus, ut s̄epius Populo in suis Concilioibus hanc Matrimonii nullitatem, & Personarum inhabilitatem in memoriam revocent.*

11. Deinde non minus liquidò id patet de Provincia Ultrajectinà, quæ toti controversiæ occasio nem præbuit, eoquod non ita multò pòst Hæretorum jugum subire coacta fuerit. Siquidem Fridericus Schenckius Archiepiscopus Ultrajectinus, primus omnium, idest mense Octòbri 1565, suos Suffraganeos in Provincialem cætum convocavit, cui cum ad unum omnes ad fuissent, una voce affirmarunt, -- *se amplecti omnia, & singula in Concilio Tridentino acta, concernentia Fidem, Sacra menta, & ritus Ecclesiæ Catholice, mandata est ejusmodi Concilii publicatio facienda in Choro Ecclesiæ Metropolitanæ;* -- Hæc ex ejusdem Concilii actis discimus, quæ acta Paulus Hoynch Van--Papendrech in Historia Ecclesiæ Ultraject. pag. 6. commemorat. Reclamarunt utique Archidiaconi quinque Cathedralium Ecclesiarum; sed reclamarunt duntaxat Decretis -- *Quibus sua jura laedi querebantur . . . . Cetera verò omniatam circa Fidem, quam circa reformationem se libenter admittere protestati sunt;* -- quemadmodum refert cit. Auctor Batavia Sacra par. 2. pag. 19. deinde rejecta penitus ea quinque Capitulorum protestatione in fine Synodi -- *Archiepiscopus, & Episcopi omnibus, & singulis in virtute sanctæ obedientiæ, atque sub pena, & Censuris in Tridentino expressis præceperunt omnium, & singulorum Decretorum observantiam,* ut prosequitur citatus Hoynch.

12. Nec contentus Schenckius hac celebri promulgatione, alias duas Ultrajecti fieri, voluit;

unam

nam nimis 22. Junii 1566. alteram die Dominica, quæ dicitur *Cantate anni 1568.* De prima, ex Testimonia Victoris Schorelii Canonici Ultrajectini mentionem facit idem *Auctor Batavia Sacra.* Secundam fusiūs describit *Jo. Lindeborn Cathchesi 9. cap. 1. §. 4.* totidemque verbis transfert Edictum, quo Archiepiscopus Schenkius ad maiorem ejus publicationis solemnitatem Ultrajectum arcessivit -- *Omnes Praepositos, & Pastores Territorii Traiectensi, Hollandiae Geldriae, Transislaniae, Frisiae, necnon quatuor Officiorum Flandriae cum circumjacentibus Locis* --, itaut non immerito dixeris, eam veluti in Vicecesana quadam Synodo omnibus numeris absolutam.

13. Metropolitani Exemplum secuti omnes Comprovinciales, ejusdemque Suffraganei Episcopi, Tridentini Decreta, quæ jam in Concilio Provinciali amplexi fuerant, per suas Diæceses promulgarunt, & observanda curarunt. Hoc de Episcopis Daventriensi in Transislania, & Middelburgensi, in Zelandia accepimus ab Eminentissimo ab Alsatia in ejus doctissima Relatione §. *Inter Episcopos*, ubi insuper addit, circumferri Acta Synodi Diæcesanæ Middelburgensis, quibus Tridentini publicatio fuit consignata. De Leovvardiensi in Frisia, & Harlemensi in Hollandia idipsum nobis aliunde innotuit. Nam Petrus Cunirus eodem mense Februarii 1570., quo Leovvardiensis Episcopus est inauguratus -- Statuta Tridentini promulgavit -- ; & die 25. sequentis Aprilis -- Primam Synodum celebravit, quæ præsentibus omnibus ferè Ecclesiasticis solemnis fuit, & triduo absolute, RECEPTO CONCILIO TRIDENTINO, & Statutis pro ratione

*zione temporis tunc editis -- , Ut i narrat Jo. Petrus Suffridus Leovvardiensis in Appendice ad Chronicon. Jo. de Beka de Episcopis Ultrajectinis pag. 185. Sequenti verò anno 1571. Godefridus Mierlo Episcopus Harlemensis Diæcesanam Synodum & ipse convocavit, in cuius cap. 5. -- Statuit, & ordinat, ut Singulis Pastores, & V. Curari Concilii Tridentini Decretum circa Matrimonialia in suis eorum Ecclesiis frequenter Populo publicent, & exponant -- , Bataviæ Sacræ p. 2. pag. 314.*

14. De Episcopo Groeningensi quinto Ultrajectini Suffraganeo, nihil revera invenio; Sed cum etiam ille, qui tunc temporis erat Jo. Knyf, Concilio Provinciali Ultrajectino interfuerit, ibique jurejurando se Tridentino obtemperaturum spoponderit, nefas videtur dubitare, quin Officii sui partes obierit, Conciliumque per tuam Diæcessim publicarit; Præsertim cum verosimile sit, Diæcesanum Conventum etiam ab illo fuisse habitum, tūm ut Tridentino obsequeretur, tūm ut Ecclesiæ recens erectæ, sibi que commissæ formam aliquam daret.

15. Hactenùs recensita satis superque nostri Decreti per singulas Parochias promulgationem demonstrat. Quis enim credat, Episcopos fuisse negligentes in exigenda à Parochis promulgatione illius Decreti, cuius executionem tām in Provinciali, quām in Diæcesanis Synodis iisdem præcepérant, atque inculcaverant; Non me latet, ea ætate excitatas jam fuisse in illis regionibus Turbas, & Tumultus in Hispanos; Verū illas ab Hispanis nondūm defecisse, compertum est; Etenim apertam Rebellionem anno 1572. fieri cāp-

tam

tam fuisse, fidem faciunt Laudati Historici. Quarè sicuti seditionis Homines impedimento esse non potuerunt, quominus Sacerdotes solemnnes agerent Conventus, in quibus Tridentini Decreta publicè perlegerentur, multò minus nostri Decreti per singulas Parochias promulgationi moram afferre quiverunt, maximè cum nullam objectæ in ejusmodi Decretum peculiaris difficultatis mentionem Scriptores faciant.

16. Clarior atamen supersunt argumenta, quorum efficacissimum illud est, scilicet, quod Sebastianus de la Torre Archiepiscopus Ephesinus per fœderatas Belgii Provincias Vicarius Apostolicus in descriptione status religionis in Hollandia, quam Summo Pontifici Alexandro VII. anno 1656. exhibuit absque ulla hæsitatione afferuit -- *Concilium Tridentinum fuisse illis in locis & receptum, & promulgatum, ejusque Decreta in praxim deducta, antequam fera pessima Hæresis omnia illuc devoratum venisset* -- ; Hoynch. in Appendice cit. Hist. pag. 95. ; quodque idem cum anno 1658. Sacram Congregationem Sancti Officii consuluisse, utrum Matrimonia, de quibus in præsenti disputatur, rata essent, nec ne, absolute dixit, -- *Concilium Tridentinum ante Hæresim, in predictas Provincias introductam, ritè, ac debite fuisse publicatum, & receptum* -- ; Quod constat ex pagina per Illustrissimum, & Reverentissimum Dominum Assessorem, EE. PP. distributa.

17. Nèc postremum locum obtinet altum hæc de re silentium doctissimi Episcopi Castoriensis, qui cum omnia conquiserit argumenta, ut tuetur firmitatem horum Conjugiorum, nunquam ar-

gumentum à negatione promulgati Concilii petiit,  
quo uno validissimè ea sustentasset.

18. Accedit demum auctoritas omnium Theo-  
logorum, & Canonistarum, eidem promulgationi  
suffragantium. Et innumeris, quos possem afferre,  
quatuor feligo Belgas, quos nemo adeo Hospites,  
& Peregrinos in Patria suspicabitur ut in re tanti  
momenti ad eamdem pertinente, allucinentur.

Jo. Lindeborn supracitata *Catechesi* 9. cap. I.  
§. 4. post narratam publicationem Concilii Ultra-  
jecti factam coram omnibus Præpositis, & Pastor-  
ibus Diœcesis, quam sibi testatam dicit à Brugesio  
eiusdem Ecclesiæ Ultrajectinæ Decano, & postea  
Archiepiscopo, concludit -- *Hæc per transennam,*  
*& in eorum gratiam, quibus aut dubia, aut ignota*  
*Tridentini promulgatio.*

Verivys per Provincias confœderatas Belgii Mis-  
sionarius in Pastorali Missionariorum tract. 13. art.  
1. differens de Tridentini Decreto irritante Matri-  
monia clandestina, ait -- *Principù agimus de Pro-  
vinciis Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ, & aliis con-  
federatis Belgii, in quibus licet aliqui dubiteant,*  
**CERTISSIME HUJUS DECRETI PUBLICA-  
TIO FACTA EST..... Immo aliquando mihi  
relatum fuit, quod adhuc à paucis annis vixerint  
Viri Senes Ultrajectini, qui à suis Pastoribus certa  
signa illius publicationis referebant --**

Florentius de Coq. Ecclesiæ Sancti Michaelis  
Antverp. Canonicus Ord. Præmonstraten sis Theo-  
log. tom. 4. cap. 12. sect. 9. ait -- Porrò Concilium  
Tridentinum fuisse publicatum in Hollandiæ, &  
Zelandiæ, antequam illæ Provinciae ab obedientia  
Regis Catholici defecissent, EST OMNINO.

CER.

**CERTUM** -- Idemque Coq tom. 1. cap. 5. sect. 14. -- Hinc patet, quod in primis certum sit, Concilium Tridentinum publicatum fuisse in toto Belgio præsertim Hollandia, & Zelandia 1565., cum illa Provincia necdum à Fide defecissent, uti ex variis relationibus, & Instrumentis clare constat. Secundò. In aliis, & aliis Belgii Provinciis receptum esse, exceptis quibusdam punctis -- Quænam fuerint illa puncta, jam supra audivimus ab Antonio Anselmo, & Berthrando Loth.

Van-Espen in Tract. Historico-Canonico pag. 9. cap. 1. §. 3. agens de Tridentino inquit -- Itaque dubitari nequit, quin Decreta Disciplinae, sc̄m reformationis his in partibus publicata, & recepta sint -- Et J. E. par. 2. tit. 12. cap. 5. num. 30. loquens de Decreto Sessionis 24. cap. 1. de Reform. Matrimonii ait -- In his, vicinisque Provinciis, & Regnis, si Angliam, & Poloniam exceperis, Concilium Tridentinum sufficienter quoad hoc Decretum promulgatum esse, ostendit eximius D. Huygens in suis observationibus de Sacramento Matrimonii.

19. Quid plura? Adeò certum est, Decretum Tridentini, de quo loquimur, fuisse per universum Belgium promulgatum, ut Synodus Provincialis Cameracensis, celebrata in Oppido Montis Hannoniae anno 1586., præsidentibus Jo. Francisco Bonhomio Episcopo Vercellensi, Nuncioque Apostolico, ac Ludovico de Barlaymont Archiepiscopo Cameracensis sit. 11. cap. 1., ex vi illius nulla, & irrita declaraverit Matrimonia, absque Tridentini formâ contractâ ab Hæreticis in iis Provinciis, quas jam tunc occupabant (occupabant autem

eo anno 1586. Zelandiam, Hollandiam, Ultrajectum cum locis adjacentibus, præter plures Civitates in aliis Provinciis sitas, ut colligitur ex Cardinali Bentivoglio, & Famiano Strada dec. 2.) -- Cum sacro sanctum generale Concilium Tridentinum (en prædictæ Synodi Verba) eos, qui aliter, quam coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus Matrimonium contrahere attentabunt, ad sic contrahendum omnino inhabiles reddiderit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse, declaraverit: Hæc Synodus in vim illius Decreti Matrimonia omnia in iis, quas Hæretici occupant, Provinciis, ab iis contracta, qui sunt Oriundi ex aliquo loco, ubi publicata sunt Decreta ejusdem Concilii, omnino nulla, & irrita, nisi contractæ sint coram Sacerdote, ad hoc specialem potestatem habente: Et his non obstantibus, eos, qui sic contraxerint, postquam ad gremium Ecclesiae redierint, si induci non possint ad dicta Matrimonia ratificandum, & in facie Ecclesiae de novo celebrandum, convolare posse ad alias veras Nuprias, etiam adhuc viventibus, quas sic contra Canones duxerint, Conjugibus, declarat, & decernit, & sic sèpè à Concionatoribus doceri, ut in posterum ab hujusmodi Matrimoniis omnino abstineant, hortatur, ac præcipit.

20. Et nè quis hæreat ad illa verba -- *Qui sunt oriundi ex aliquo loco, ubi publicata sunt Decreta ejusdem Concilii* -- , animadvertis, oportet, quòd, cum Matrimonia, sicuti, & cæteri contractus, pendeant à Jure Locorum, in quibus celebrantur, ut arg. cap. fin. de For. Compet. & L. Si fundus 6. ff. de Evidt, docent communiter DD. à Sanchez lib. 3. de Matrim.

Matrim. disp. 18. num. 10., & 25. ac Pontio lib.  
§. cap. 9. n. 1. adducti, si Patres Cameracenses  
existimassent, in locis ab Hæreticis occupatis, ob  
defectum promulgationis, Tridentinum vim non  
habere, non potuissent Matrimonia in illis clancu-  
lum inita irrita decernere, et si contrahentes, qui  
in illis Domicilium collocaverant, Oriundi essent  
ex loco, ubi Tridentinum vigebat. Quarè cum  
minor dubitandi ratio forret de aliis Belgii Provin-  
ciis, in quibus ea tempestate Rex Catholicus domi-  
nabatur, illa verba -- *Si sint Oriundi &c.* videntur  
solum attingere posse Anglos, & Gallos, illuc ad  
mercaturam faciendam confluentes, & mox reces-  
suros, quos idcirco exceptos voluerunt illi Patres,  
quia in ea fuerunt sententiæ, quam hic examinare  
non vacat, nimirum quod Concilii Decretum non  
obstringat Personas ratione Loci, ad quem diver-  
tunt, vel per quem transeunt, sed ratione loci, in  
quo habitant, ut paulò post explicarunt cap. 2. his  
verbis -- declarat eadem Synodus, neminem censeri  
alicujus Parochiæ, aut Diæcesis quoad Matrimonium  
contrahendum, nisi qui animo ibidem residendi, non  
autem statim ad propria redeundi, vel alio commi-  
grandi, in ea, vel Diæcesi, vel Parochia Sedem  
fixerit -- ; Atque perspicue, & ad rem nostram ac-  
commode Synodi sensum interpretatus est Huy-  
gens in suis observationibus de Sacramento Matri-  
monii cap. 36. num. 13.

## §. 2.

**C**um itaque Missionarii Belgici omni spe  
destituantur, fore ut præsidio sibi sit pro-  
mulgationis defectus, aliam, qua his se difficul-  
tatibus

tatibus expediant, rationem excogitant, dicentes scilicet Matrimonia, de quibus agimus firma esse in ratione contractus, quamvis irrita sint in ratione Sacramenti, qua de re nos docet Eminentissimus ab Alsatia in laudata relatione §. dixi *Matrimonia*. Nituntur quippe illorum Theologorum doctrinā, qui Matrimonii, ut Sacramentum est, ministrum esse putant Sacerdotem; Hinc enim Matrimonia, quæ sine Sacerdotis præsentia, & benedictione contrahuntur, legitimos quidem esse contractus, ad Sacramenti verò dignitatem nequaquam pertinere, opinantur. Ita ante Tridentinum senserunt *Guilielmus Paris. de Sacramentis cap. 9.*, *Canus de locis Theologicis lib. 8. cap. 5.*, Patres Concilii Provincialis Coloniensis, celebrati anno 1536. part. 7. cap. 40., & post Tridentinum docuerunt *Estius in quartum dist. 26. §. 10. Piette Theologia* part. 6. cap. 5. quest. 13. *Sylvius, Steyaert, aliqui DD. Parisienses, & Lovanienses passim.*

22. Verūm, ut ut se hæc sententia habet, quam fusè confutarunt *Bellarminus de Matrim. cap. 6.*, *& duobus seqq. Sanchez. lib. 2. disp. 6.*, *Pontius lib. 1. cap. 8. & Fagnanus in cap. quod nobis de Clandestin. despons. num. 51.*, certum omnino est, eam post Tridentinum non favere Matrimoniis clandestinis initis in locis, in quibus idem Tridentinum est promulgatum. Ratio adeo obvia est, ut neminem fugiat: Quoniam Tridentinum irrita jubet esse clandestina conjugia in eadem ratione, in qua erant anteà firma, secus nihil novi statuisset; ex quo fit, ut quæ prius firma erant in ratione contractus, hæc in eadem ratione esse nulla declareret; Imò, quamvis anteà fuissent Sacraenta, uti communior

munior fert opinio, non in alià, quām in ratione contractus efficere irrita potuisset. Etenim cum Sacramentorum natura ab una Christi D. institutione pendeat, qui omnem, & solum contractum conjugalem à Fidelibus legitimè initum ad Sacramenti Sanctitatem eexit, non alio potuit modo Ecclesia facere, ut clandestina Matrimonia, quæ priùs erant, poste à Sacraenta non essent, nisi subtrahendo Sacramenti materiam, statuendo nimis, ut clandestinus contractus tunc legitimus, deinceps legitimus non esset. Et reipsà Tridentini verba non Sacramenti, sed solius contractus rationem directè respicere, patet consideranti, ait enim S. Synodus -- *Qui aliter quām præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse, decernit.*

23. Hujus ratiocinationis vim optimè percipiunt DD. Parisienses, & Lovanienses : Quare licet in Fidelium Matrimoniis rationem Sacramenti separari posse à ratione contractus, existiment, hanc tamen separationem, quod ad clandestina Matrimonia spectat, solummodo ubi Tridentinum non est receptum, tuentur contingere ; Ubi verò receptum est, eam tunc fieri arbitrantur, quandò aut contrahentibus coram Parocho, & Testibus expressè civilem conventionem conflare, non Sacramentum confidere deliberatum est, aut Parochus illa verba -- *Ego vos conjugo &c.,* quæ hujusc Sacramenti formam esse, censem, non profert.

24. Itaque quero, utrūm Tridentini Decre-

tum socias Belgij Provincias complectatur, an non? Si ait: consequitur, ut Matrimonia inibi clam celebrata sint nulla tamen in ratione Sacramenti; quam in ratione contractus. Si negas: fit, ut rata sint; Utrum autem in contractus ratione tantum, an etiam in Sacramenti ratione, disputant Theologi.

## §. 3.

25. **A**liud magni, ut ipsis videtur, ponderis argumentum plurimi Auctores infra profendi a præscriptione desumunt. Exploratissimi Juris est, inquiunt, legem quamlibet humanam, sive civilis sit, sive Canonica, contraria consuetudine, modò legitimè invaluerit, abrogari, ut generatim liquet *ex cap. fin. de consuet.*, atque in specie de Legibus, Matrimonia irrita facientibus, eruitur *ex cap. Super eo de cognat. spirit.*, ubi ad decidendum, an aliquæ Personæ Matrimonio inter se jungi queant, de Metropolitanæ, aliarumque vicinarum Ecclesiarum consuetudine inquirere jubemur. At omnibus compertum est (pergunt iidem Doctores) a saeculo, & amplius, conjugia, de quibus loquimur, celebrari ab Hæreticis, quin de illorum firmitate vel levissimè dubitent. Nihil ergo obstat, quoniam contra Tridentini legem iam pridem ab illis fuisse præscriptum, censeamus.

26. Verum, si quam hujusmodi argumento inesse efficacitatem fateamur, contra cæteras etiam Ecclesiæ leges ab Hæreticis præscriptum, fateamur, necesse est: Quapropter nec Legibus, quæ de Jejuniis, Festis, & aliis id genus, imò nec iis, quæ de Impedimentis, ex consanguinitate, & affinitate

nitate profectis, sanctæ sunt, astringentur, cum illas semper ex quo ab Orthodoxa Religione defecerunt, temerè violaverint; Quam sequelam licet ultrò admittant *Verricelli de Apost. Mission. tit. 3. quæst. 87.*, *Pichler ad tit. de Spons.*, & *Matrim. num. 98.* *Wiestner eodem num. 193.*, *Schmalzgrueber ibidem num. 197.* tamen quam absurdæ, & falsa sit, ex hoc etiam apparet, quod Summus Pontifex suis per Germaniam, & Belgium Nunciis hanc inter alias, facultatem concedit -- dispensandi in 3., & 4. simplici, & mixto cum Pauperibus in contrahendis; in contractis vero cum Hæreticis conversis etiam in 2. simplici, & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum; & in his casibus prolem susceptam legitimam declarandi; -- Quod indicio est, inter Consanguineos, & affines Hæreticos contracta Matrimonia, non obstante eorum prava consuetudine, etiamnum à Summo Pontifice irrita reputari.

27. Horum autem omnium ratio hæc est. Ut consuetudo legem extinguat, cum aliæ qualitates requirantur, tum maximè rationabilis sit, oportet, per textum expressum in *cit. cap. fin. de Consuet.* Et quamvis DD. alii alio explicent modo, qua ratione consuetudo legi repugnans queat esse rationabilis, cum propterea & inhonesta, & iniqua sit; in nullius tamen opinione rationabiles appellati possunt ejusmodi Hæreticorum consuetudines, quod mox constabit.

Aliqui cum *Navarro in Comment. de Spoliis §. 14. num. 7.* illam consuetudinem rationabilem judicant -- *Quæ non est contra Legem naturalem, vel Divinam, directè, vel indirectè* -- Cujusmodi,

juxta Layman. in cit. cap. fin. num. 7. ea est, quæ adversatur religioni. Eodem redit, quod alii dicunt cum *Rebellio de obligat.* *Just.* part. 1. lib. 1. quæst. 5. num. 5., eam consuetudinem esse rationabilem, quæ peccatum non nutrit, nec foveat, hoc est, ut clarius explicat Pontius lib. 6. de Matrim. cap. 5. num. 2., quæ aliam non continet turpitudinem, aut peccatum, quam quod oppositio cum Lege, cui non obtemperatur, necessariò per se parit.

At omnes illæ Hæreticorum consuetudines hac peculiari turpitudine conspurcatæ sunt, quod scilicet ex mero potestatis clavum, & Ecclesiasticæ jurisdictionis contemptu, ac in Ecclesiæ Caput Romanum Pontificem odio profluant, ex quo & Orthodoxæ Religioni, & divinæ legi repugnare illas, nemo non videt. Idque præcipue de Matrimoniorum contra Ecclesiæ præscriptum in eundorum consuetudine comprobatur: Hæc enim è tendit, ut astruat, & moribus confirmet hæresim Calvini lib. 4. *Instit.* cap. 19., & Lutheri lib. de Captivit. Babilonic., cum pervicaciâ afferentium, non potuisse Fideles novis impedimentis Matrimonia dirimentibus ab Ecclesia obstringi.

Alii, quos sequitur *Engel ad tit. de consuet.* num. 11. opinantur, eam consuetudinem esse rationabilem, quæ non est expressè in jure improbata. In jure autem Canonico expressè improbatum omnis consuetudo, per quam disrumpitur Nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ per textum in cap. Cum inter. 5. de consuet. -- ibi -- Nos igitur, cognito, quod ex tali consuetudine (non servandi Interdictum generale) si qua foret, disrumperemus.

Nervum

Nervus Ecclesiasticae Disciplinae, ipsam duximus irritandam -- Ubi *Glossa fin.* sic concludit -- *Ubi cumque sit aliquid contra Ecclesiasticam Disciplinam, sive nervum Ecclesia, non habet locum præscriptio* -- Nulla verò potest reperiri consuetudo, quæ magis directè Ecclesiasticae Disciplinæ nervum infirmet, ac debilitet, quam quæ ex animo proficiscitur negandi Ecclesiæ concessam à Christo legum, quibus Ecclesiastica Disciplina nititur, fendarum potestatem, cuiusmodi sunt omnes, quas supra indicavimus, Hæreticorum consuetudines.

Alii demùm cum *Glossa in cap. 1. de Confit. in 6. V. rationabilia, & Hostiensi in Summ. tit. de consuet. num. 2.* prudentis Judicis arbitrio constituendum censem, utrum consuetudo aliqua rationalibilis sit, an irrationalis; qui quidem Jūdex, inquit *Pirhing. ad tit. de Consuet. num. 30.* -- *Id estimare poterit ex fine consuetudinis bono, vel malo* -- Quàm autem pravus sit finis, quem respiciunt Hæretici conculcando Leges Ecclesiæ, etiam inde manifestum fit, qui à sic ostentare volunt attestatam Evangelicam libertatem, cuius emendatio prætextu suam contumaciam, & rebellionem colorare conantur.

Cum itaque relatæ consuetudines omni ex parte vitientur, atque in nullius sententiâ *rationabiles* appellari queant, nullo pacto leges Ecclesiæ abolerere potuerunt. Neque huic nostræ argumentationi quidquam ponderis, & momenti illud detrahit, quòd Heterodoxorum plerique non singulari Ecclesiasticae potestatis odio abrepti Sanctissimos Ecclesiæ Canones contemnunt, sed cæci

pecu-

pecudum more suos magistros sequantur, eorumque Doctrinæ acquiescentes bona fide agant. Etenim ad omnium consuetudinem robore exuendam, satis est, si ex errore illo, & despicientia suam duxerit originem, atque ad hæresim moribus stabiliendam à præcipuis Pseudo-Ministris fuerit introducta: hoc enim appositè cadit illud S. Cypriani in Epistola ad Cecilium -- *Non sufficit quorundam consuetudo in Ecclesia, sed querendum est, quem illi sequuti sint* -- Deinde: bona, vel mala fides, cuius maxima in præscriptionibus ratio habetur, nullum occupat locum, cum de consuetudine contra Legem agatur. Ea enim non idcirco legem non abrogat, quod mala fide incepit, & perseveret, sicuti post *Hostiensem*, docent Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 4. n. 14. Diana part. 8. tract. 7. resolut. 37., Bonacina de LE. disp. 1. quæst. 1. punct. ult. §. 3. num. 40., Cardinalis de Lugo de 7. & 7. disp. 8. sect. 6. num. 96., Haundus de 7. & 7. tract. 1. cap. 3. num. 136., Barbosa in cap. fin. de consuet. num. 21., Vallensis ad eum tit. §. 3. num. 6. aliique innumeri ab his citari. Quamobrem, ut omnium mala fides consuetudinem, quæ per se rationabilis sit, irrationabilem non reddit, ita nec bona paucorum fides rationabilem efficit consuetudinem, quæ aliundè irrationabilis evincitur.

28. Hac fermè de causa à Tridentini Decreto Hæreticos eximere non possumus ea sola ratione innixi, quia scilicet illud nunquam acceptarunt. Nam cum Ecclesiæ Leges à Populi acceptatione non pendeant, ideo eadem non acceptatae, post certum tempus obligare desinunt, quia Summus Pon-

Pontifex ad intercludendum majoribus malis adi-  
tum, suarum legum severitatem paulatim ita miti-  
gat, ut Populum illum, qui legis jugum, non  
tamen gravis sine culpa, ab initio ferre detrectavit,  
ab ejusdem onere prorsus tandem relevet. Id verò  
à Summo Pontifice tunc solum fieri præsumitur,  
quando Legum repellendarum causa ex honestate,  
& Justitia, non ex Pontificiæ potestatis dirisione  
nascitur; *Navarrus consil. 1. de Constit. num. 24.*  
*Suarez. cit. loc. num. 9. & Layman lib. 1. tract. 4.*  
*cap. 3. num. 3.*

### §. 4.

29. **D**Emùm nedùm inefficacia, sed etiam in-  
fusa existimanda sunt argumenta, quæ  
aut ex legis per Tridentinum latæ ignorantia, quâ  
Hæretici plerumque laborant, aut ex errore, quo  
iidem suum Pseudo - Ministrum esse legitimum pu-  
tant, deducuntur. Siquidem hic error est ille  
idem, quo veram esse, quam sequuntur lectam,  
arbitrantur; Quod si error hujusmodi, utpote  
ortus ex obdurata pertinacia, qua Spiritui Sancto  
resistunt, & veritatis magisterium audire detre-  
ctant, illos ab hæreseos criminè non liberat, ita nec  
ipsorum Pseudo - Ministris ullam jurisdictionem,  
aut *uctoritativam*, ut dicunt, potestatem tri-  
buere potest.

30. Et verò legis ignoratio, tametsi quando  
non est *crassa*, & *supina*, omnem à violatoribus  
culpam, & pœnam amoveat, non tamen quos  
lex ad contrahendum ineptos effecit, habiles red-  
dit, nec actui, quem lex irritum esse jussit, pri-  
stinam vim restituit, ut bene perpendunt *Meno-*  
*shius*

chius de Arbitrar. lib. 2. casu 185., Sanchez de  
matrim. lib. 3. num. 10., Gutierrez. cap. 61. de  
Matrim. num. 10. Pontius lib. 5. cap. 6. num. 18.,  
Castrup. disp. 2. punct. 13. §. 8. num. 7., aliquique  
passim, qui Testamenti non solemnis exemplo  
aptè utuntur, quod non ideo fit solemne, quia  
ex legis certas solemnitates præscribentis ignoran-  
tiâ conditum fuit.

## §. 5.

31. **A**lia itaque est ineunda via, ut ad exop-  
tatam metam properemus. Nec una,  
sed duplex in omnium rem attentiùs consideran-  
tium, oculos incurrit: nempè *littera Legis*, &  
*mens Legislatoris*.

Et quoad primum; Si Tridentini verba diligen-  
ter expendantur, forsan fœderatas Belgii Provin-  
cias minimè comprehensas esse, constabit; Cum  
enim Tridentini Patres clandestina matrimonia ju-  
bere irrita constituerent, quæ inde promanarent  
incommoda, si suum alicubi Decretum non accep-  
taretur, prospexerunt: Quare ad hæc declinanda,  
ita illud temperarunt, ut neminem teneri volue-  
rint, nisi post triginta dies ab ejusdem promulg-  
tione facta in Parochia, in qua quis degit, -- de-  
cernit insuper ut *hujusmodi Decretum in unaquaquam*  
*Parochia suum robur post triginta dies habere inci-*  
*piat, à die primæ publicationis in eadem Parochia*  
*facta numerandos.* -- Per Parochiam autem -- non  
intelligitur hic locus, sed certa communitas Fide-  
lium congregata sub uno Pastore obligato ad Verbum  
Dei, & Sacraenta ipsis administranda -- Ità Tri-  
dentinum explicat Jo. Stoz. in relatione historica

de  
§. 4  
fui  
lor  
esse  
Par  
ref  
lar  
den  
ea  
gi  
Ca  
ca  
ad  
Ca  
inc  
loc  
qu  
un  
su  
Si  
de  
da  
ca  
di  
na  
m  
m

de gestis in Concilio Tridentino seet. 4. art. 24.  
§. 4. punct. 2. num. 475.; In qua etiam sententiâ  
fuit S. Congregatio Concilii, dum Senatui Co-  
loniensi sciscitanti, an menti Tridentini factum  
esset satis per Decreti publicationem non in Ecclesia  
Parochiali, sed voce Praeconis in Platea Civitatis,  
respondit affirmativè, uti testatur *Cardinalis Bel-*  
*larminus in M. S. annotat. ad sess. 24. cap. 1. ejus-*  
*dem Concilii.*

32. At quamvis in Provinciis fœderatis Belgij  
ea publicatio fuerit ritè peracta, quo tempore le-  
gi Catholico subjectæ erant; attamen Episcopus  
Castoriensis per confœderatas Provincias olim Vi-  
carius Apostolicus, in Epistola *Hæc super re data*  
ad Antonium Hœffach Cathedralis Antverpiensis  
Canonicum 14. Decembris 1685.; Non potest,  
inquit, dici facta in ea republica, quæ iisdem in  
locis nunc est constituta -- Habet Civitas, prose-  
quitur Idem, habet Respublica suam formam, ac  
unitatem à Legibus. Mutatae sunt Leges, mutati  
sunt Principes, adde, Populum quoque mutatum.  
Sive ergo formam, sive materiam spectes, non eam  
dem hanc rempublicam dices cum illa, quæ erat,  
dum his in Terris Tridentina Synodus fuit publi-  
cata.

33. Et profectò, licet, quod proverbii loco  
dici solet, Reges sint mortales, Respublicæ æter-  
næ, cum, ut rectè ait Aristoteles 3. Polit. 2., Flu-  
minis instar, sine ulla, quæ sub sensum cadat,  
mutatione, jugiter fluant, aliisque abeuntibus,  
alii

Eadem anno 1681. scripserat ad Alphonsum Me-  
chilenensem Archiepiscopum, aut alium, uti  
habetur in Batav. Sac. p. 2. pag. 481.

alii continuo succedant; tamdiu nihilominus stant, manentque -- quamdiu communitas, quæ munis complexibus (populum) devincit, unumque corpus efficit, unitatem suam conservaverit -- inquit Plutarchus de sera numinis vindicta; sed si disrumpatur vinculum, quo Reipublicæ partes continebantur; si pereat legum forma, quæ priscam, quasi anima, Rempublicam alebat; Si antiqua destruatur regiminis species, quo à cæteris discernebatur, & Populos, & Respublicas interire dicimus, teste eodem Aristotele. Sic nullam Capuæ antiquæ Reipublicæ Imaginem relictam, dixit Cicero I. contra Rullum, eò quod à Romanis omni, quo fruebatur Jure, Senatu, Magistratu, imperio spoliata fuerit, quemadmodum refert Livius lib. 26. Hac de causa rectè Hugo Grotius de I. B., & P. lib. 2. cap. 9. §. 6., & Pufendorf. de I. Nat., & Gent. lib. 8. cap. 12. §. 9. notant, & Populos à Regibus devictos, atque in Provinciam redactos; & eos, qui excusso Regum jugo se à servitute liberarunt, longè alios, atque antea vulgo existimari, perinde ac si recens ex antiquorum quasi ruinis eruperint.

34. Sed à fœderatis Belgii Provinciis jamdiu abscissum fuit illud servitutis vinculum, quo Hispanorum Regi deviciebantur & cum cæteris ejusdem Monarchiaæ Partibus in unum quasi corpus coalescebant, quæque antea unius Principis parebant Imperio, nunc Reipublicæ Jure fruuntur; Monarchicum in Democraticum regimen mutatum est; antiquæ leges eversæ; destructa Orthodoxa Religio; decolorati mores; totaque devastata avitæ Religionis disciplina, sub qua Majores san-

ctissime

etissimè vixerant. Cum autem omnis interierit  
forma tam Sacrae, quam civilis Reipublicæ, quæ  
olim in illis visebatur, consequitur, ut Republica,  
quæ nunc exstat, eadem atque prima cen-  
seri moraliter non possit; quapropter optimè aje-  
bat Castoriensis, in præsenti Republicâ nunquam  
fuisse promulgatum Tridentinum, licet promul-  
gatum olim fuerit in illis locis, in quibus præsens  
Respublica est constituta. Fingite animis, in Ur-  
be Constantinopoli, priusquam Turcarum Tyran-  
no serviret, fuisse publicatum Tridentinum. Fin-  
gite, eam Urbem nunc à Christianis in veterem  
libertatem, dignitatemque vindicari, omnesque,  
quotquot ibi habitant, Turcas, ejuratâ Maho-  
metis perfidiâ, Christianam Religionem ample-  
cti. Quisnam illos Tridentini Decreto in connu-  
biis contrahendis adstringi dicat? Nullus, ut  
puto; èo quod in tantâ rerum vicissitudine extin-  
ctam quilibet crederet veterem obligationem, ex  
illa perpetuâ publicatione profectam. Video  
quidem comparationem quæstioni nostræ non om-  
ni ex parte congruere. Si tamen eidem æqua pro-  
portione accommodetur, idem omnino ad pro-  
positum nostrum persuadebit.

## §. 6.

**H**AETENUS expositum Castoriensis argu-  
mentum alio modo proposuit *Dicastillo*  
*de Matrim. disp. 3. dub. 4. n. 24.*, ubi sic ratioci-  
natur. In fœderatis Belgii Provinciis fuisse Tri-  
dentini Decretum per singulas Parochias promul-  
gatum, nemo inficiatur: has tamen Parochias in  
præsenti desiderari, norum est omnibus. Cum  
enim

Q

enim Hæretici illas Provincias per summum nefas  
occupaverunt, omnes Catholicas Parochias de-  
vastaverunt, neque saxeos solummodo, sed vivos  
etiam Templorum parietes, legitimos scilicet  
Catholicæ Fidei ministros undequaque exturbave-  
runt, ita ut liberum Orthodoxæ Religionis usum  
funditus sustulerint, ac deleverint. Itaque per-  
git laudatus Auctor, si nunc illis in Regionibus  
Catholicæ Religionis vestigium frustrâ quæritur,  
dicere haud possumus, Hæreticos earumdem In-  
colas subesse Parochiæ, in qua Concilii promul-  
gatio peracta fuit, & propterea Tridentini Decre-  
tum, etiamsi ad ejusdem litteram animum inten-  
damus, nullo illos premere modo, censendum  
est.

36. Ne quis verò hujusmodi argumentum cap-  
tiosæ subtilitatis insimulet, ad Juris Interpretes  
provoco. Notant omnes Juris Interpretes, vo-  
cem quamlibet, à Lege adhibitam, duplicem ha-  
bere posse significationem, naturalem videlicet,  
& civilem. Naturalem vocant, quam vox habet  
ex suâ primæva, & simplici institutione, in qua  
communiter à Populo usurpatur; civilem dicunt,  
quam vox habet à Lege, seu ex Juris sanctione,  
in qua nonnisi à Jurisperitis accipitur. Exemplum  
est vox *mors*, quæ naturaliter significat separatio-  
nem animæ à corpore; *civiliter*, etiam Professio-  
nem Religiosam, & similia. Præterea docent,  
verba Legis, nisi aliud ex ipsamet conjiciatur, ac-  
cipienda esse in significatione naturali, usuali, &  
*populari*, ac nequaquam extendenda ad *civilem*,  
prout sumitur ex cap. *Susceptum de Rescriptis in b.*,  
*& ex l. ultima Codic. de his, qui veniam etatis &c.*  
pluri-

pluribusque exornant Tiraquellus in l. Si unquam. Cod. de revocan. donat. V. suscepit. num. 17., Suarez de LL. lib. 6. cap. 1. num. 10., Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 18. num. 8. copiosèque tradunt etiam Grotius de Jure B. & P. l. 2. cap. 16, §. 2. Pufendorf. de I. N., & G. lib. 5. cap. 12. §. 3. Porro Hæretici in Provinciis fœderatis Belgii degentes, si ad civilem, & juridicam significationem respiciamus, subsunt Parochiaæ, in qua Tridentini Decretum fuit promulgatum, quia ex Juris præscripto ei subesse deberent: Verum in naturali, seu communi, & vulgari loquendi modo, non putantur pertinere ad illam Parochiam, quam nunquam agnoverunt, nec agnoscent, & cuius nullum nunc superest nec materiale, nec formale vestigium. Si mentem igitur ad superiorem regulam à DD. vulgo receptam advertamus, in Tridentini Decreto, quod clandestina Matrimonia esse irrita jubet, ejusmodi Hæreticos non contineri, concludemus.

## §. 7.

37. **E**T quoniam, -- Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi -- ut ait S. Hilarius relatus in cap. 6. de U. S., diligentius causam investigemus, cur Tridentini Patres suo Decreto illas tantummodo Parochias, in quibus esset promulgandum, comprehendi voluerunt; Hæc, si qua fides Cardinali Pallavicino in Historia Concil. Trident. lib. 22. cap. 8. num. 10., & supracit. Joanni Stoz. dicta sect. 4. art. 24. §. 4. punct. 2. num. 173. Hæc, inquam, fuit potissima, imò forsitan unica causa, ne scilicet ad connubia con-

Q 2

cele-

celebranda inepti evaderent Hæretici Angliæ, Sa-  
xoniæ &c. quos ex una parte certò prævidebant,  
Decretum non recepturos, & ex alia ad illi paren-  
dum non posse invitatos adigi, utpote Hæretico  
Principi subjectos, perbellè noverant. Hæc au-  
tem ratio æquè aliis Hæreticis favet, qui in Pro-  
vinciam aliquam, in qua denunciatum jam ante  
fuit Decretum, invaserunt, & ut suam perfectè,  
atque absolute nunc possident. Ergo & istos ful-  
se exemptos, existimemus, oportet; tum quia,  
ubi locum habet eadem ipsissima ratio, eadem de-  
bet esse Legis dispositio, ex adductis per Panorm.  
*in cap. Suggestum. de Appellat., Suarez lib. 6. de*  
*LL. cap. 3. num. 9., & Layman. lib. 1. tract. 4.*  
*cap. 18. num. 4.; tum quia aliter limitationis à*  
Legislatore adhibitæ alius omnino, ac sibi pro-  
posuerat, futurus esset exitus, contra regulam  
explicandi leges, traditam in l. *Quod favore f.*  
*de LL., quam exornat Sebastianus Medicis tract.*  
*de LL. part. 2. quest. 17.*

38. Nec sanè alia potuit esse mens Tridentini,  
aut Castoriensis in memoratâ Epistolâ -- *Nisi pra-*  
*scribere modum, quo in locis Catholicis solemnia*  
*redderentur Matrimonia, non verò disponere de*  
*modo ea valida, legitimaque reddendi illis in Pro-*  
*vinciis, vel Regnis, in quibus Catholica Religio*  
*aut proscripta, aut certè suppressa, omniq[ue] quoad*  
*actus publicos auctoritate exuta fore;* -- Quoniam  
si hoc voluisset, voluisset pariter omnes Hæreti-  
cos in iisdem Provinciis dominantes, qui nullam  
illi spem facerent, fore, ut Decreto collum sub-  
mitterent, impellere, ut aut vitam semper cœli-  
bem ducerent, aut illicitis amplexibus se perpe-  
tuò,

quod contaminarent, quod à rectissima, & sanctissima Patrum Concilii Tridentini mente quam longissime abest. Notissimum est illud Isidori relati à Gratiano dist. 4. can. 2. -- Erit autem Lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum Patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta &c. -- Sed Tridentini Lex locis, quæ in Hæreticorum potestate sunt, nec conveniens, nec utilis, imò maximè perniciosa esset: quamobrem dicere ab illa hujusmodi loca comprehendendi, non audeo; cum opportunè monear à Divo Thoma 1. 2. quæst. 96. art. 6. in corp. -- Omnis Lex ordinatur ad communem Hominum salutem, & in tantum obtinet vim Legis: Secundum verò quod ab hoc deficit, vim obligandi non habet. Unde & rectè jurisperitus nulla jurisratio, aut aequitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro salute Hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione, contra ipsorum commodum producamus ad severitatem. --

### §. 8.

39. **P**orrò, quia de Isidoro mentionem fecimus, non abs re erit, in enucleanda tertia illa qualitate, quam cuivis Legi, ut vim habeat suam, inesse postulat, nempè ut sit possibilis, non nihil immorari. Non ego profectò assentior hic Vera-cruci in append. ad spec. Conjug. dub. 4., & 5., Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2., Graff. lib. 2. de cisi. cap. 86. num. 9., Vega lib. 3. summ. casu 361. & Marin. Theolog. tract. 23. disp. 9. sect. 3. num. 33. aliisque, afferentibus, urgente necessitate, va-

Q 3

lere

L. 24. ff. de Legib.

lere Matrimonium sine Parocho, qui reperiri non potuit, initum. Neque enim illa regula 6. *juris in 6.* - *Nemo potest ad impossibile obligari* - quempiam eximit à Lege, quæ certam constituit formam actui, qui non ideo justus, & ratus evadit, quia modo à lege præscripto, fieri non potuit, sic cum communi *Navarrus consil.* 45. *sub tit. de sponsal.* 1. *prima edit.* *Ledesma de matrim. quest. 45.* art. 5. *Suarez. de LL. lib. 5. cap. 23. per totum.* *Gutierrez cap. 61. de matrim. num. 4.* *Sanchez lib. 3. disp. 17. num. 4.*, *Diana part. 5. tract. 3. resol. 39.* *Chapeaville de modo ministrandi Sacra menta tempore pestis cap. 6. q. 26.*, aliique rectè inde inferentes, irritum esse Matrimonium, sine legitimo Parocho contractum, quamvis adfuerit necessitas illud contrahendi, puta in articulo mortis ad legitimandam Prolem, & simul impossibilitas Parochum arcessendi.

40. Hoc tamen verum esse, contendō, tunc solummodo, cum ejusmodi impossibilitas unius, alteriusve Personæ propria est: non verò cum Republicæ, vel Regioni generatim, atque universè accidit, & perpetuò durat. Etenim si Legislatoris mentem, & voluntatem licet ex verosimili conjicere *L.* Non est verosimile 23. ff. de eo, quod metus causa, fas utique est existimare, eum non luisse excipere primum casum, ut consuleret bono publico, cui expedit, neminem ob aliquod peculiare, & inopinatum impedimentum à lege solvi, ne talis impedimenti specie, omnes paulatim Legis jugum excutiant. Sed ob oppositam rationem, iniquum est vel suspicari, quod non excepterit secundum casum; quia si hunc non exceptisset,

pisset, non prospexit utilitati integræ communitatis, quæ inhabilis semper maneret ad actum, quem juxta formam nova lege statutam perficere nunquam posset. Communis igitur ejusmodi, & perpetua impossibilitas, facit, ut Epieikiæ locus detur, & ne Legislatorem à justi, & æqui tramine deviasse opinemur, præsumendum est, illum suæ legis latius patentis severitatem hoc loci temperasse.

41. Et ne longius à proposito aberremus, ad hanc Epieikiam confugiamus, oportet, si, ut par est, Matrimonia à vagis Hominibus coram Parocho loci, ubi tempore contractus casu, & mox discessuri commorantur, rectè inita esse, defendamus. Quiā cum ille Parochus non sit, si emendatè, scitèque loquamur, *proprius Contrahentium*, qualem Tridentinum exposcit, non alia ratione affirmare possumus, illius præsentiam vagorum Hominum Conjugiis vim tribuere, nisi quia per Epieikiam statuimus, Tridentinum velle lenius, ac mitius vocem *proprius* pro ejusmodi Personis intelligi, quæ cum nusquam gentium stabilem collocent Sedem, nusquam reperient Parochum ea qualitate verè præditum. Quodque magis proposito nostro conductit, hâc Epieikiâ innixa Sacra Congregatio Concilii supradicto Episcopo Tricariensi Sedis Apostolicæ ad Belgas Legato inter alia rescripsit - *in locis etiam, in quibus Tridentinum est promulgatum, si nullus Parochus, aliusque Sacerdos à Parocho, aut Ordinario delegatus reperiri possit, valere Matrimonium absque præsentiâ Parochi, servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus Testibus.*

stibus, - Ita cum aliis refert Zipeus tit. de sponsali-  
bus num. 16.; Quoniam cum Sacra Congregatio  
nullam dispensationem fuerit impetrata, quod  
ex eisdem verbis, nullum præfeterentibus di-  
spensationis indicium, optimè colligit Dicastillo  
de Matrim. disp. 3. dub. 4. num. 24., sed meram  
declarationem ediderit; non potuit ita responde-  
re, nisi innixa Epieikiâ, seu benigna præsumptio-  
ne, quod talis fuerit mens Tridentini, ne secus  
omnes Incolas ejus loci, ubi nullum Parochum  
est invenire, expertes connubii semper vivere,  
vel invitos cogeret.

42. Jam verò isthac omnia eò spectant, ut ne-  
quis conjugia, quæ ab Hæreticis, absente Paro-  
cho, contrahuntur, irrita putet. Si enim res  
confessa, atque manifesta est, Tridentini Decre-  
tum aliquam Epieikiam, seu benignam pati inter-  
pretationem, nulla suppetit ratio, cur talis Epie-  
ikiæ utilitate sint Hæretici fraudandi, quando huic  
Decreto rite obtemperare non possunt: quod ita  
esse constat; Primo quia ipsi non credunt, Paro-  
chum Catholicum esse legitimum, qualem dun-  
taxat opinantur esse suum Ministellum: licet enim  
hic error non tribuat Heterodoxo Ministello legi-  
timi Parochi Jurisdictionem, & auctoritatem, ut  
suprà diximus; quandiu tamen perseverat, parit  
moralem impossibilitatem Parochum Catholicum  
adeundi, ut per se patet. Secundò, quia si Hæ-  
retici Matrimonium contracturi Parochum Ca-  
tholicum arcesserent, incurrent indignationem  
proprii Magistratus, qui in illos tanquam suarum  
legum violatores severissimè animadverteret. Ter-  
tiò demum, quia Matrimonium, coram Catho-  
lico

lico Ministro ab Hæreticis contractum , ab aliis ejusdem Sectæ Hominibus haberetur irritum , atque ex eo suscepta soboles tamquam non legitimæ à publicis muneribus arceretur. Hæc incommoda , quæ gravissima sunt , cum non facile à privatis Hominibus declinari queant , reddunt illis moraliter impossibilem ad Catholicum Parochum accessum.

43. Neque hujuscce nostri argumenti vim infringit , quod talis impossibilitas in eorumdem arbitrio posita sit , possitque removeri , si nimirum Orthodoxam Religionem amplectantur ; Nam primùm planè ineptum est velle , ut Hæretici Religionem Catholicam , quam unam ad Cælum viant , pertinaciter quidem , & male , sed tamen negant , necessariam continuò ad ritè Matrimonium ineundem existiment. Deinde etiam in Hominum vagorum potestate sita est *proprium* Parochum habendi impossibilitas ; Ut quæ voluntarium huc illuc discurrendi propositum consequitur : Eadem quoque Parochum conveniendi impossibilitas , cui quorundam locorum Incolæ sunt obnoxii , exiguo potest labore removeri , si nimirūm illinc abeant , atque aliò se conferant : nihilominus tam istos , quam illos à Tridentini forma , exactè , atque ad amissim servanda , per Epieikiam liberos pronunciamus. Cur igitur soli Hæretici erunt similis Epieikiæ beneficio privandi ? Nunquid ea potuit esse mens Tridentini , ut quandiu in Hæresi obdurati persistunt , vel cælibatum colant , vel peccata peccatis cumulando , in perpetuo concubinatu vivant ? Non sane : Ea autem fuisse , si illos compulisset ad celebranda Conjugia coram Parocho Catholicō , cuius vel aspectum refugiunt.

## §. 9.

44. **O**Mnia huc usque allata argumenta ab oppositis Sac. Cong. Concilii declaracionibus nonnihil infirmari perspicio; His igitur satis ut faciam, duplex declarationum a Sac. Congregatione institutarum genus distinguendum est; Aliæ Tridentini mentem generatim, & ut dicunt, in abstracto, exponunt: Aliæ, quid in hoc, & illo peculiari eventu faciendum sit, decernunt. Priores legum generalium loco habendæ sunt. Cum enim Summi Pontificis auctoritate muniantur, per Constitutionem Sixti V. incipien. *Immensa*, Sacrae Congregationi commissa, sunt interpretationes authenticæ, quæ Concilii Decretis inhærere dicuntur, non secus ac si ab initio iisdem adjunctæ fuerint, quemadmodum in simili dixit Imp. in §. fin. auth. de raptis mulieribus docetque *Fagnanus* in cap. *Quoniam de constit. num. 9.* Posteriores verò, magnæ cæteroquin auctoritatis, se habent instar judicialis sententiæ, quæ Jus facit in illa sola quæstione, de qua profertur, vim tamen legis universalis obtainere, præsertim cum promulgari non soleant, negant *Petrus Ledesma* in *summatione*. 1. de *Sacram. Penit.* cap. 13. difficult. 7. *Sanchez*. lib. 8. de *Matrim.* disp. 2. num. 10. *Bona cina de LL.* disp. 1. quæst. 1. punct. 8. prop. 1. num. 4. *Layman Lib.* 1. tract. 4. cap. 7. num. 26., *Bossius* in tractat. de tripl. Jubil. privil. sett. 3. casu 2. §. 7. n. 255., aliique plurimi. Hinc porrò factum est, ut generales illæ declarationes non soleant fieri, nisi consulto Summo Pontifice, rebusque quam accuratissimè consideratis, Cum de peculiaribus factis, saltem

saltem tanta circumspectione , & cautione decidi non consueverit, quia videlicet , ut ait Divus Thomas. p. 2. quest. 95. art. 1. ad 2. -- Illi , qui Leges ponunt , ex multo tempore considerant, quid lege ferendum sit, sed iudicia de singularibus factis fiunt ex casibus subito exortis.

45. His prænotatis , non mihi negotium facerunt responsa , à Sac. Congregatione in casibus singularibus data , qualia sunt penè omnia, quæ ab Illustrissimo , & Reverentissimo D. , qui Sacrae Congregationis à Secretis est, ad suarum Annotationum calcem apposita sunt , difficultatem tamen, & quidem maximam creat declaratio illa generalis, data Episcopo Tricariensi anno 1605., vel juxta alios 1603. , quæ legem Tridentini, generatim explicat, ita ut Hæreticos in consociatis Belgii Provinciis habitantes aperte includat : hanc tamen ante prodiisse constat , quām Rex Catholicus & nomen liberæ Reipublicæ , & Jus illis Provinciis permisit , eò scilicet tempore, quo, exturbatis undique Hæreticis Ministris, nequa præter Catholicam floreret impunè Religio , Idem Rex Catholicus, quām potuit diligenter, operam dabat. In hoc autem rerum articulo, cum nondum illis in locis esset prorsus mutata forma Regiminis ; Nondum penitus eversa Catholica Religio ; Nondum de Tridentini Decreto exequendo spes omnis abjecta, erant profectò inibi degentes Hæretici Tridentini lege adstringendi , quemadmodum adstrictos jam antea eosdem declaraverant Patres Concilii Cameracensis supra relati. Verùm postquām iisdem Provinciis suis se regere imperiis concessum ; Postquām debita Tridentini mandatis obedientia desperata ;

perata; Postquam denique, pace cum iisdem Monasterii an. 1648. constituta, communi sancitum est consensu, ut Clandestina Matrimonia in Belgio fœderato celebrata, in Hispanensi etiam Belgio rata haberentur, nunquam amplius Sac. Congregatio eadem irrita generatim, atque universè pronunciavit, sed generaliter interrogata, utrum legitima essent, an non, ut in illa Hollandia 1681., & in alia Boscoden. Matrimoniorum 1683., mentem aperire suam, & declarationem Episcopo Tricariensi olim datam ad trutinam iterum expendere noluit, hoc contenta responso -- *Si dubio esset respondendum, respondendum esset negativè* --

46. Quod si tacuit Sac. Congregatio, alio silentii genere satis disertè locutus est Sanctissimæ ac Gloriosissimæ mem. Clemens XI., quando Nuntio Coloniensi, à quò consultus fuit, quid de Matrimoniis in fœderato Belgio non ex Tridentini formula contractis sentiendum esset, EE. S. Officii Cardinalibus ad deliberationem adhibitis, die 19. Novem. 1711. per Sacram Congregationem de propaganda Fide responsum dari, jussit -- *Quod gravibus quidem de causis nihil adhuc de illis generatim, & universè statuendum, estimatum fuit* --, ut ex pagina per Illustrissimum, ac Reverentissimum Assessorem distributa liquet. Cum enim de hujusmodi Matrimoniis nihil generatim, & universè statuendum arbitratus est, ostendit enim verò, quæstionem generatim acceptam novo examine indigere, nec in hæc tempora quadrare aptè veterem illam Sacræ Congregationis sententiam, qua omnia ea conjugia fuerunt irrita declarata. Qua enim fieri ratione potuit, ut negaret Pontifex aliquid

quid de illis generatim, atque universè esse statuendum, si quod generatim, & universè sub Clemente VIII. sancitum jam fuerat, ad hanc nostram aetatem pertinere existimasset? Antiquatum igitur, ac supremo tanti Pontificis oraculo labefactatum videtur, quod contrarium Sac. Congregatio Concilii multò antè decreverat.

## §. 10.

47. **Q**uapropter admirationem parere debet nemini, quod, nihil obstante ejusmodi Decreto, rata esse conjugia ab Hæreticis, legitimo Parocho absente inita propugnaverint Doctores triginta, quos singillatim à me, & diligenter lectos nomine, & loco quemque suothic recenseo. Hi sunt *LAYMAN* lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 7., *TANNERUS* Theolog. tom. 4. disp. 8. quest. 3. dub. 6. num. 122., *DICASTILLO* de Matrim. disp. 3. dub. 4. num. 24. *BONAGRATIA* in dissert. de Matrim. Hæreticorum §. 8. ad 1., *HENRICUS MAYER* in opusculo de sponsalibus, & matrim. num. 70. *JOANNES MOQUETIUS* in disp. de nuptiis clandestinis n. ult., *THEOPHILUS RAYNAUDUS* tom. 16. Heteroclit. Spiritual. sect. 1. punct. 14. num. 8., *MARCHANTIUS* in Tribun. sacram. tom. 3. part. 3. tract. 1. tit. 6. quest. 4. conclus. 4., & tit. 7. quest. 10. *VVEX* in opusculo Canon. -- Trident. de sponsal., *STALENUS* in dissert. Theologo -- politica de Matrim. Hæreticorum part. 1. quest. 4., & part. 2. cap. 4., *SVAEEN* in dissert. de sponsa duorum, *PIRRHING* tit. de clandest. desponsat. num. 12., *PICHLER* ad tit. de sponsal., & Matrim. num.

98.,

98., Et tit. de clandest. desponsat. num. 16., VVI.  
**ESTNER** ad tit. de sponsal., Et Matrim. num. 192.  
**SCHMALZGRUEBER** eodem num. 379. KO.  
**NIG.** tit. de clandestina desponsat. num. 4.  
**RUGLER** de Matrim. quæst. 65. par totam, ARS.  
**DEKIN** Theolog. tripart. tom. 2. par. 2. tract. 4.  
 cap. 8. §. 4. **PLATELIUS** Theolog. part. 5. cap. 7.  
 §. 5. in fin. **SPOERER** Theolog. tom. 3. part. 4. cap. 1.  
 sect. 1. num. 35. **COTONIUS** lib. 5. de Matrim.  
 cap. 4. num. 263. **ESPARZA** Theolog. tom. 2. lib.  
 10. quæst. 114. num. 13., **MARIN** Theolog. tom.  
 3. tract. 23. disp. 9. sect. 3. num. 44., **IVENIN**  
 de Sacramentis dissert. 10. de Matrim. cap. 4.,  
**PIETTE** Theolog. part. 6. cap. 5. quæst. 8. §. 1.,  
**UYGENS** in observationibus de Sacram. Matri-  
 monii cap. 36., **VAN -- ESPENS**. I. E. part. 2. tit.  
 12. num. 32. **STOZ** in Relat. Histor. de gestis  
 in Concil. Trident. sect. 4. art. 24. §. 4. punct. 2.  
 num. 475., **ENGEL** ad tit. de clandest. desponsat.  
 n. 20. vers. dico quinto, ubi dicens, Tridentini  
 Decreto contineri Hæreticos viventes cum Catho-  
 licis, Si his sunt numero minores, videtur eosdem  
 illo Decreto eximere, si Catholicos multitudine  
 aut superent, aut æquent, **GONZALEZ** in cap.  
 3. de cland. desponsat., ubi referens senteniam  
 Theophili Raynaudit. ne verbum quidem addit.  
 quo eam improbe

## §. 11.

48. **T**anta porrò est tot, ac tam conspicuorum  
 Doctorum huic opinioni suffragantium  
 auctoritas, ut, quod hanc eamdem veritatem multò  
 .confirmat magis, & illustrat, novum inde oriatur  
argu

argumentum. Cum enim aliquod impedimentum Matrimonium jure solo Ecclesiastico nequaquam dirimere, solidè probabile est; vel quod probabile sit, nullam, quæ illud induceret, extitisse legem, vel quod probabile sit, ejusmodi legem fuisse postmodum abrogatam; tunc, etiamsi verè coram Deo, & Ecclesia tale impedimentum adesset, non solum in Matrimonio jam contracto perseverare, verùm inire etiam Matrimonium cum illo impedimento jure Fidelibus licet: Siquidem S. Mater Ecclesia pro singulari suā indulgentiā, & in filios lenitate, nè Matrimonium fortè irritum sit, impedimentum, quod abesse, probabile est, reipsa amovet, & aufert, ità expressè Diana part. 4. tract. 4. resolut. 4., & Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 6. num. 18. ibi -- Si adessent opiniones, quibusdam assertoribus, id esse impedimentum, aliis verò negantibus: Si opinio negans esset verè probabilis, quamvis affirmans esset probabilior, posset ille sequens opinionem probabilem, inire id Matrimonium absque aliqua dispensatione -- Idem fusè, lateque probant Cardenas Crisis Theolog. proposit. 1. dissert. 2. cap. 8. art. 3. & seqq. Viva in Theses damnatas part. 2. propos. 1. num. 29. La-Croix par. 3. lib. 6. num. 417., 527., & 538., Pichler. in Jus Canon. lib. 4. tit. 1. num. 100., Marin. tract. 23. disp. 9. sect. 7. n. 112., Roncaglia in quasitis dogmaticis, & moralibus de Ecclesiae Sacramentis tract. 9. cap. 21. num. 4., aliique ab his citati. Ne quis verò odiosum illud probabilitatis nomen horreat, præsertim cum de Sacramento Matrimonii confiendo agatur, audiat eumdem Roncaglia, quem unum recentiorem profero, quia rem breviter, & clarè omnium

nium laudatorum DD. nomine sic explicat -- *Ex hoc inferes, quod, si contrahatur Matrimonium cum tali dubio juris, non proceditur ad illius celebracionem ex opinione probabili, quod illicitum est, ut constat ex prima propositione damnata ab Innocentio XI., sed ex opinione certa, & tutâ; & reverâ in tali casu opiniones probabiles evadere certas, & tutas, habemus etiam ex responsione Urbani VIII., nam interrogatus à Cardinali de Lugo de quibusdam circa Matrimonia eorum, qui convertebantur in Paraquaria, ait, quod ubi intercederent Doctorum Sententiæ utrinque probabiles, sequerentur opiniones pro conditione locorum, ac Hominum, Barbaris favorabiliores, & sinerent doctis Hominibus sentiendi libertatem -- Neque id novum videbitur Viro in Theologia morali mediocriter versato, quippe quem non lateat, complures esse, & gravissimos DD., qui doceant, fas esse Sacerdoti cum Jurisdictione solum probabili Sacramentum Pœnitentiæ administrare, & peccata ritè confitentibus remittere: eo quod Ecclesia, nè Sacramentum fructu privat suo, certam, ac indubitatam Sacerdoti probabiliter operanti conferat Jurisdictionem, quemadmodum inter alios tinentur Diana part. 2. tract. 15. resolut. 29., & part. 8. tract. 1. resolut. 93., Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 22. num. 65., Verric. part. 1. quest moral. tract. 2. quest. 25. num. 5., Bonacinatorm. 1. disp. 5. de Sacram. Pœnit. quest. 7. punct. 5. §. 4. num. 4. Cardinalis de Lugo de Pœnit. disp. 19. Sect. 2. num. 29. & 34.*

49. Jam verò si non ob rationes supra allatas, ob extrinsecam certè tot, tantorumque Doctorum

itâ

Ex  
cum  
con-  
tio-  
à m  
, &  
II.,  
lam  
r in  
rum  
ones  
fa-  
ndi  
o in  
ppe  
nos  
urif-  
en-  
re-  
fru-  
dori  
em,  
.2.  
lut.  
um.  
left.  
am.  
alis  
29.  
itas,  
rum  
ità

itâ sentientium auctoritatem , dubitabit , ut opinor , nemo , quin impedimentum *clandestinitatis* , aut ad Matrimonia , de quibus sermo est , nullo tempore pertinuisse , aut hac tempestate non pertinere , solidè probabile sit . Itaque cum res ita se habeat , nemo Conjugia ejusmodi , legitimo Parochio non præsente , inita , rata esse , inficiabitur . Hac ratione , credo , commoti *Gobat.* , *La-Croix* , à me in hujus discept . § . 1 . laudati , hanc Sententiam , cuius probabilitatem antea totis viribus elevare conati sunt , uterque tandem ; Ille quidem *num. 471.* , hic verò *num. 753.* ad usum tutò revocari posse , ingenuè fatentur .

50. Huic eidem argumento non parum roboris addidisse videtur SS. Clemens XI. , dum in suopracirt. Litteris jussit , per Nuncium Colonensem moneri Vicarios Apostolicos , ac Missionarios Belgii fœderati , ut super Matrimoniis inibi coram ministro , aut Magistratu Hæretico contractis -- **SECUNDUM EORUM PRUDENTIAM , AC PROBATAM DOCTORUM DOCTRINAM SE GERERENT** -- ; Etenim cum Sapientissimus ille Pontifex haud ignoraret , apud plures probatos Doctores jampridem eam invaluisse opinionem . quæ Matrimoniis hoc modo initis vim tribuit , & quamplurimos in Belgio Missionarios doctrinæ Castoriensis imbutos , eandem frequenter opinionem ad praxim reducere , non ita respondisset , nisi hanc doctrinam securam in praxi censuisset , aliqui iisdem Missionariis non levem ansam præbuisset in re tanti momenti audaciùs errandi , ac materiales , ut ajunt , fornicationes liberiùs permittiendi , quod de doctissimo , ac SS. Pontifice ne suscipiari quidem fas est .

R

51. His

§ 1. His accedit totius ferè Orthodoxæ Ecclesiæ consensus, quæ ejusmodi conjugia rata habet. Quoniam cum Hæretici præcipue Germanici, & Belgæ ad veram Catholicam Fidem revertuntur, neque Episcopi, neque Parochi solliciti unquam fuerunt, aut sunt de eorum Matrimoniis restaurandis, sicuti tanquam oculati testes referunt Stalnus in cit. dissert. de Matrim. Hæreticorum, Suuaen in dissert. de sponsa duorum §. 7. Pichler. tit. de clandest. desponsat. num. 16. Viestner tit. de Spon. jal. num. 197., Schmalzgrueber. eodem num. 379., & alteri Hæreticorum Conjugum, qui Orthodoxam Religionem amplectitur, nusquam permititur, ut nuntio primæ uxori remisso, ad secundas nuptias convolet, ut iidem Auctores testantur; Quod si contraetum more patrio conjugium reputaretur irritum, neque illud omitti, neque hoc negari liceret. Ad hæc Hæreticorum Filii, ejurata jam hæresi, tūm aliis in locis, tūm etiam hic Romæ, quod Collegii Germanici Alumnis usu sæpe venire novi, Sacris Ordinibus facillimè initiantur, quin impedimento ex nocta origine dirivato solvantur; Quod cæteroquin ex necessitate fieri prius oporteret, si parentibus non ritè conjunctis natī putarentur. Ex his porrò efficitur, omnibus esse persuasum, Hæreticorum connubia, etiam sine legitimo Parocco celebrata, firma, ac rata esse.

## §. 12.

§ 2. **O**Mnibus itaque maturè, atque accuratè perpensis, censeo, Matrimonia, ab Hæreticis inter se in Belgio fœderato contracta, non servata formà Tridentini, esse rata. Sed quoniam, faten-

fatendum est enim, quoniam rationes, quæ hanc mihi mentem injecerunt, evidentes nequaquam sunt, existimo ad majorem saltem cautionem, rogandum Summum Pontificem, ut Tridentini Decretum, quoad Hæreticos in sociis Belgii Provinciis temperet, quam quidem lenitatem facile utendam, suaderem, illam enim licet non mereatur Aca-tholicorum protervia, exposcit tamen conservandæ in universa Christiana Republica pacis amor, exposcit graviora mala submovendi studium; Exposcit spes perditas illas Oves ad verum Christi Ovile suavius alliciendi; Avidè tandem desiderant Catholicci omnes, illis in Provinciis commorantes, in quorum maximam perniciem cederet, si Hæreticorum, sub quorum dominatu vivunt, Matrimonia irrita decernerentur. Quam opportunè enim verò ad rem nostram hoc loco venit præclara D. Bernardi ad Eugenium scripta sententia lib. 3. de considerat. cap. 4. -- *Ubi necessitas urget, dispensatio est excusabilis, ubi utilitas provocat, laudabilis--*

53. Idque eò libentiùs à Summo Pontifice faciendum, judico, quod alia jam via à fœderato Belgio Matrimonia omnino clandestina quam longissimè exulaverint, neque enim hisce temporibus, nisi, postquam ter denunciata sunt, coram loci Magistratu, aut Ministro Acatholico, pluribusque Testibus celebrantur quemadmodum testantur *Christianus Lupus in Tertull. cap. 40., & VaneSpan. part. 2. tit. 12. cap. 5. num. 35.* Quare maximis illis malis, quæ ut præcaveret Tridentinum, clandestina Matrimonia esse irrita jussit, prospectum jam satis, & consultum est.

*Aegidius Maria Giulii Soc. Jesu.*

R. 2

DIS

## DISCEPTATIO SECUNDA

Super quinto Dubio.

*An similia Matrimonia inter Partem Catholicam, & Partem Acatholicam, quæ amba sunt fœderatorum Ordinum subditæ, contraria in locis eorundem dominio in Belgio subjectis, censenda sint valida?*

## §. I.

**Q**UAMVIS Catholicos inter, & Hæreticos, saltem Orientales, irrita olim Matrimonia fuerint, quemadmodum opinantur Pontius lib. 7. de Matrim. cap. 47. num. 11., & Van Espen. I. E. part. 2. tit. 13. cap. 8. num. 6. certum tamen omnino est, eadem temporis decursu, sive deinde jure scripto sanctum id fuerit, sive, quod ultimum suspicatur Pontius, sola consuetudine invectum, vim ubique gentium obtinuisse, & apud omnes etiamnum, nisi aliud quid obstet, firma esse, atque reputari: honesta vero non item: Ea enim nedum vetustissimi Ecclesiæ Canones determinantur, ut patet ex Concilio generali Chalcédonensi act. 15. can. 14. Concilio Carthaginensi 3. can. 12. Eliberitano can. 11., 16., & 17., atque Agatensi can. 67. Sed Jus ipsum naturale severissime prohibet; propterea quod & fini Matrimonii adversentur, & tam Catholicum Conjugem, quam nascituram sobolem in inevitabile æternæ ruinæ discrimen vocent.

2. Fini, inquam, Matrimonii, nec contemnendo adversantur, mutuae nempe inter Conjuges amoris

amoris necessitudini, atque arctissimæ, sine rixâ, & querela, Societati. Quoniam ut rectè Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 9. -- Quomodo potest congruere Caritas, si discrepat fides --, & Zonaras ad can. 72. Trullanum -- Qui simul ita vivunt, ut eorum animi in iis, quæ ad fidem pertinent, contrario modo affecti sint, quo pacto eas in aliis rebus convenire posse, quifquam arbitretur? Quorum sensus in iis, quæ sunt Fidei, quorum prima est, atque præcipuaria, minimè congruit; Quo pacto inter se æquis animis in reliquâ vita societate communicabunt? -- Et efficaciùs Lezana var. consult. 43. num. 17. -- Quomodo quies, & tranquillitas inter Catholicum, & Hereticum consistere potest? cum ferè necesse sit inter eos lites, jurgia, & altercationes de Fidei Religione, fejuniis, cibis vetitis, Festis diebus, veneratione Sanctorum, & cultu Imaginum quotidie subordinari, nec terminari posse sine aliquo odio, vel malevolentia unius erga alium.

3. Vocant autem Catholicum in inevitabile æternæ ruinæ discrimen: Nam, quæ laudati Ambrosii vox est, -- Cum Sancto Sanctus eris, & cum Perverso perverteris, si hoc in aliis, quanto magis in Conjugio, ubi una caro, & unus spiritus est --; Ambrosio consonant tūm Stephanus IV. ad Regem Francorum apud Baronium tom. 9. annal anno. 770. Quamplurimos comperimus, sicut divinæ Scituræ historia instruimur, per alienæ nationis injustam copulam à mandatis Dei deviisse, & in magna devolutos facinora --; tum Concilium Provinciale Burdigalense, celebratum anno 1583. can. 15. -- Experientia compertum est, etiam ex Catholicis non paucos talibus Matrimonii à Fide Orthodoxa defecisse --

fecisse -- Quod quidem discriminem eò magis timendum esse , notat idem Ambrosius , ubi Femina Hæretica viro Catholico jungitur, quia , inquit -- *Spes illecebra Mulieris decepit etiam fortiores Mariatos* , & à Religione fecit discedere -- , Idque comprobat Lezana exemplo Salomonis , qui suarum Uxorū lenociniis in Idololatriam lapsus est, quin constet, vel unam ex quamplurimis, quos domi alebat, Idololatris Uxoribus , fuisse ab eo ad veri Dei cultum traductam.

4. Maximè porrò verendum est , ne nascitura Proles , etsi fortalsè ex pacto inter Conjuges inito, Catholicis Dogmatis imbuenda sit, Hæresis nihilominus venenum guttatum hauriat , atque unius Parentis lue ita paulatim tabescat.

--Sicut Grex totus in agris

Unius scabie cadit, & porrigine porci,  
Uvaque conspecta livorem dabit ab Uvâ;

*Juven. sat. 2.*

Optimè enim advertit *cit. Van-Espen. par. 2. tit. I 3. cap. 8. num. 9.* -- Semper adest exemplum Parentis Hæretici , nec non quotidiana de hæresi colloquia , & de fide quæstiones , quæ nata sunt , si non extinguere , saltem immunuere Fidem Catholicam , ipsasque Proles in ea vacillantes , & flaccidas reddere . Quam constantes enim verò , firmique in Deo fideliter colendo futuri sunt tenelli Filii , quorum aures sexcentis execrationibus , & conviciis in Orthodoxam Religionem , ab alterutro Parente jactis , quotidiè obtunduntur ? Quomodò peterunt in Religiosà Legum Ecclesiasticarum observantià educari , atque adolescere , quas , vident , aut ab hæretico Patre , aut ab hæretica Matre semper sperni,

sperni, & conculcari? Quo pacto Christi Servatoris, Sanctorumque Imaginibus debitum defèrent honorem, dum sciunt, earundem cultores ab altero ex Parentibus Idololatras haberi? Quà ratione sanctissimis Ecclesiæ Ritibus assuescent, quos domi audiunt superstitionis damnari? Minimum utique, quod timetur, est, ne intantà inter Parentes in rebus Fidei discordiâ fluctuantes Filiorum animi omnem paulatim exuant Religionem, ac tandem in detestabilem Adiaphorismum, seu Deismum deflestant.

5. Hinc nedùm Pontius in Appendic. de Matrim. cap. 2. Lezana cit. Consult. 43., & Nicolaus Serarius integro Opusculo de Catholicorum cum Hereticis Matrimoniiis in hujusmodi detestanda conjugia acriter invehuntur; Sed ipsimet DD. Germani, & Belgici, quamvis eadem frequenter oculis usurpent, miserà nihilominùs, & quotidiana malorum inde pullulantium experientiâ edocti. ea tamquam Juri naturali repugnantia, uno animo, atque una voce execrantur, inter quos Layman. lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 14. num. 2., Gobat. Theolog. experim. tract. 9. casu 11. num. 216., Engel. ad tit. de Matrim. contra Interdictum Ecclesiæ §. 2. num. 2. infine, Franciscus Schmier. Juris Prud. Canon. Civil. 3. p. lib. 4. tract. 3. cap. 5. sect. 3. num. 55. Pirbing. tit. de Sponsal. num. 166. Vers. Imo cuncte teste, Pichler. eodem. num. 129. Reiffenstuel. n. 360. Schmalzgrueber in 4. decret. tit. 6. num. 137. Van-espens. cit. tit. 13. cap. 8. num. 7.. Laurentius Neessem de Sacramentis tract. 8. quest. 7. dub. 15. Florentius Cocq. Theolog. tom. 4. cap. 12. sect. 10., aliquique innumeri.

6. Quod si ejusmodi pericula in aliquo extraordinario eventu evanescant, quod inter Vulgares, atque infimæ notæ Homines contingere vix posse, putant citt. Cobat. Serarius, & Lezana, ea Matrimonia rectè, & honestè contrahi poterunt, modò Sum. Pontifex auctoritatem interponat suam, cuius unius est quempiam, Ecclesiastica Lege eas nuptias probibente, solvere, & quo tempore naturale Jus obligare cesset, interpretari, ut cum Lezana notat Serarius. Rarò autem, & nonnisi gravissimis de causis, tantà Summum Pontificem potestate usum esse, testatur Eminentissimus Petrus in Comment ad Const. Apost. tom. 4. pag. 76.

### §. 2.

7. **H**æc hactenus: ad rem tamen: eò enim spe-  
tant, ut ostendant, justissimè, ac san-  
ctissimè fuisse à Sac. Congregatione consociati  
Belgii Parochis, ne Matrimoniis Catholicorum  
cum Hæreticis adessent, interdictum. Nec pos-  
sunt idcircò conqueri Catholici, quasi Matrimonii  
ineundi facultatem, omnibus à natura concessam,  
nimium refrenet ejusmodi prohibitio: præstò  
enim sunt iisdem in locis & Catholicis viris Ca-  
tholicæ Mulieres, & his rursus eadem fide consentientes  
Viri, quibus juxta mominum Apostoli 1.ad  
Corinth. 7. -- *In Domino nubant*, idest, explicat  
Serarius -- *Domino approbante*, & *auspicante*--,  
qui tuendæ libertatis simulatione, Ecclesiæ, imò  
naturæ ipsius Sanctissimas Leges contemnant, ac  
sacrilegum jugum ducant cum Infidelibus, non  
animadvertentes, quod, - *Qui rationi parent, soli  
digni sunt, qui liberi vocentur*; soli enim hi vivunt,

ut

*ut volunt, qui quod velle debeant, didicerunt -- Plutarchus in initio libri de Audit.*

8. Multoque minus possunt eam obtendere causam, cur à Tridentini Decreto se subtrahant, & sine Parocho Catholico cum Hæreticis contrahere audeant. Quoniam cum Ecclesia ejusmodi execranda conjugia decernere irrita potuerit, quod apud Orientales quondam in more positum fuisse, vidimus, multò potuit magis illis contrahendis facere difficultatem, Catholicos Parochos illa præsentia firmare suā vetando : Quanquam ne hac quidem ratione eadem de medio sustulit, possunt enim etiam nunc Catholici proprium Parochum nil tale cogitantem convenire, & coram eo, licet invito, Hæreticas Uxores ducere.

9. Falli ergo videntur, qui ob maximam arcessendi Parochi difficultatem, quam ex illa interdictione nasci dicunt, initis in ejusdem absentiā Catholicos inter, & Hæreticos in Belgio Matrimonii vim tribuunt, firmitatemque ; Simili enim arguento, si quid probaret, tueri profectò quis posset, ratum esse Matrimonium clandestinum etiam hic Romæ celebratum, cui justis de causis interesse Parrocho integrum non fuit.

10. Illud porrò quām leve est, ac nugatorium, hæc scilicet conjugis iisdem rationum momentis fulcire velle, quibus nos Hæreticorum Matrimonia sustentavimus ! Idcirco nimirūm quia civili fœderatarum Provinciarum statu mutato, Catholicisque Parochiis destructis, in communi quoque Hominum existimatione omnino periret, quæ ritè olim ibi secuta est Tridentini promulgatio. Hoc enim si ita esset, quis non non continuò hinc

inferri intelligat, rata etiam esse Matrimonia, quæ Catholici inter se, legitimo Parocho absente, ibidem inirent? Nam statim ut extinctam ponis illis in locis Tridentini publicationem, consequens est, ut omnes illic degentes, cujuscunque Religionis sint, Tridentini vinculo solvantur. Cur verò Hæretici à Catholicis hoc differre dicendi sint, ut moralis destructio antiquæ promulgationis Tridentini, quæ illis suffragatur, his non prospicit, illud præcipue in causâ est. quod exiguo illi Catholicorum cœtui, qui ex miserrimo Fidei naufragio evaserunt, Apostolicorum Vicariorum curâ, atque industriâ Tridentini decretum, quo clandestina Matrimonia fiunt irrita, iterum ac sæpius denunciatum sit, & indictum, primò quidem anno 1609. à Sasboldo Archiepiscopo Philippen, deinde anno 1616. à Philippo Rovenio, Vicariis Apostolicis, sicuti legimus in *Batav. Sac. part. 2.* pag. 67., & 85. Quis enim verò vanas omnino has promulgationes, & otiosas existimet, quod in Parochiali Templo non fuerint habitæ? Sancta enim Synodus, nullâ factâ Parochialis Templi mentione, id unum præcepit, ut in Parochiâ scilicet fierent, qua quidem appellatione Fidelium conventum designari, & docuit *Io. Stoz. in Histor. relat. de gestis in Concil. Trident.*, & nos à Sac. Concilii Congreg. firmatum fuisse, annotavimus in præcedenti disceptatione nñm. 21.

## §. 3.

II. **Q**UAM cuperem his similia esse cætera, quæ in eundem scopum diriguntur argumenta! Non enim impedimento essent mihi quomodo

nus

nus in illam, quæ clandestina Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis jubet irrita, sententiam descenderem: Sed tria gravissima sunt, quæ me à proposito dimoverunt, atque in contrariam, quæ mihi minus arridebat, abire opinionem, penè invitum compulerunt.

12. Primùm quidem timor, ne ipse mihi minus constare videret, quām notam vix effugere putabam me posse, si clandestinis Hæreticorum inter se in Belgio Matrimoniis approbatis, quæ à Catholicis cum Hæreticis ibidem contrahuntur, rata postea negarem. Utrum autem timor hic meus is fuerit, qui prudentem deceat, aliorum sit ex dicendis judicium.

13. Certissimum, notissimumque Juris principium illud est, in individuis, nempè contractibus, cuiusmodi est Matrimonium, Jus, & privilegium uni collatum, etiam alteri contrahentium cōvenire ad textum *in L. si communem ff. quemadmodum servitus amittatur*, ubi *Glossa*, & Interpretes omnes, præcipuè *Bartolus* ibi -- *In individuis retinet quis per socium, quod per se non potest* -- Hinc verò fit, ut si quis inde, ubi receptum est Concilium, alio se transferat, ubi receptum non est, exempli causâ, si Italus in Angliam transmittat, quamvis animo in Italiam brevi redeundi, firmum tamen ibidem cum feminâ indigenâ, nec dissolvendum Matrimonium, vel absente Parocho, ineat. Immò si in eādem Urbe Parochiæ sint duæ, in quarum altera est promulgatum Concilium, in alterâ non item, in hac posteriore duo earundem Parochiarum Incolæ, etiam non servatâ Tridentini disciplinâ, Matrimonio

monio ritè jungantur: Nam cum alter Conjugum ratione loci, in quo domicilium habet, ab exequendâ Tridentini normâ eximatur, ne nuptialis conventio claudicet, ejusdem exemptionis participem facit, quam inibi dicit Uxorem: quod à nemine in dubium vocari, testantur Gobat. Theolog. experim. tract. 9. casu 18. num. 479. Engel. ad tit. de clandest. desponsat. num. 20. conclus. 1., & 2., Van-Espen I. E. part. 2. tit. 12. cap. 5. num. 36., Wamesius consil. 530., Idemque sapientius declaravit Sacra Concilii Congregatio, præcipue in illa Antverpiensi post Annotationes Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini, qui ejusdem à Secretis est, relata, in qua confirmatum fuit Matrimonium à quodam Hispano in Anglia clanculum contractum cum Fœminâ Antverpiensi, quæ paucis antea mensibus ibidem domicilium fixerat.

14. Si autem ponamus, Hæreticos in Belgio fœderato esse à Tridentini Decreto immunes; in qualibet earum Provinciarum Urbe duos omnino consideremus, oportet, Hominum conventus, alterum Catholicorum Tridentini Decreto vincitorum, Hæreticorum alterum eodem Decreto solutorum. Hæc porrò Hæreticorum à Tridentini lege immunitas non potest dici *personalis*, hinc enim efficeretur, ut eam secum portarent, quo cunque diverterent, adeoque ubique locorum, etiam hic Romæ possent inter se, nullâ habitâ Tridentini ratione, inire Matrimonium, quod dicturus est nemo. Quamobrem relinquitur, ut eadem in illos à loco, in quo habitant, ita derivetur, ut eâ duntaxat fruantur intra earum Provinciarum terminos, in quibus perfectam Rem publi-

publicam constituunt. Nisi igitur novam, atque hactenus inauditam illis legem statuamus, minimè dubitandum videtur, quin Personæ ad utrumque Conventum, Catholicorum scilicet, & Hæreticorum pertinentes, intra earundem Provinciarum ambitum possint, etiam præter Tridentini formam, firmis inter se Matrimoniis conjungi.

15. Sed quò clariùs res pateat: finge tibi in omni fœderati Belgii Urbe suum esse Catholicis locum, Hæreticis suum: finge tibi præterea, Vírum Catholicum cum feminâ hæreticâ clandestino jungi Matrimonio; suboriatur mox quæstio, an hujusmodi Matrimonium valeat, nec ne? Nemo unus, ut opinor, futurus est, qui illud non damnet, ut irritum, si in loco, Catholicorum proprio celebratum sit, secus verò non præbet ut ratum. Consideraret enim quisque illa loca tamquam duplex duarum Parochiarum territorium, in quorum altero Tridentinum viget, in altero jacet; eaque propter propositæ quæstioni meritò & jure ex communi Doctorum sententiâ, quam nuper attigimus, responderet.

16. Verùm hæc locorum distinctio frustrâ quæritur in illis Urbibus, in quibus Catholici cum Hæreticis ita permixti vivunt, ut non raro in iisdem Ædibus habitent. In quo rerum statu non possumus aliam, atque aliam Communitatem, Catholicam nempè, & Hæreticam, quod ad loca spectat, distinguere, nec digito indicare, quis locus Tridentini Lege obstringatur, quisve absolvatur; sed Personas tantùm, & quam sequuntur, Religionem, secernere licet, dicendo scilicet, omnes Hæreticos intra fœderati Belgii fines esse

Triden-

Tridentini Decreto solutos. Quocunque igitur in loco, dummodo non extra illas Provincias, Matrimonium ineant Hæretici, semper ineunt in loco, in quo ipsi Tridentino non substant; ex quo conficitur, ut ejusdem à Tridentino exemptionis etiam Conjuges, Catholicam licet profiteantur Religionem, faciant ibidem participes, eò prorsus modo, quo Incola Parochiæ, in qua Tridentinum non fuit promulgatum, siquam intra illius limites Uxorem ducit, huic, quamvis ad Parochiam Tridentino subjectam pertineat, suam impertitur exemptionem.

17. Quod si quæras, cur Pars Hæretica suam potius exemptionem Catholicæ parti, quam hæc illi vinculum impertiatur suum? Duplex in prompta ratio. Primò quidem, quia ob tritam illam regulam -- *Favores sunt ampliandi, odia restringenda* -- facilius propagatur libertas, quam contrahatur servitus. Deinde verò, quia Hæretici easdem Provincias dominatu tenent, eorumque numerus adeò ingens est, ut penè absorbeat pullum gregem Catholicorum, illic commorantium, Quarè cum denominatio à parte posteriori educatur, & omnes Hæretici in illis Provinciis degentes liberi à Tridentini sanctione pronuncientur, fit, ut, quod isti cum Catholicis intra easdem Provincias ineunt Matrimonium, magis in loco, quem Tridentinum excipiat, quam quem comprehendat, celebratum censeatur.

18. Immò etiam si Catholici in iis Regionibus essent multitudine Hæreticis conferendi; nihilo tamen minus hoc contendō, ab Hæreticâ Partem Catholicam, quacum Matrimonium contrahit;

¶ Tris

è Tridentini vinculo exemptumiri. Quod ut evincam, finge iterum tibi id, quod non est, Tridentini nempe Decreto includi Catholicum, eò duntaxat, quia Catholicus est, Hæreticum autem excludi, hac una de causa, quia Hæreticus est: Fac nunc, Catholicus cum Hæretica, præter Tridentini normam, contrahat Matrimonium. An non ratum illud putes? Ita sanè: ad illud enim pertinet isthæc regula, quamcum *Glossa*, & *Bar-tolo in cit. L. si communem*, tradunt DD., in individuis nimirum conventionibus Jus, & Priviliegium uni concessum, ut ne frustrâ sit, alteri etiam paciscentium permitti. Verùm non ea est, de quâ agitur, quæstio: nam neque Catholicus in fœderato Belgio hoc nomine, quia Catholicus est, Tridentini Lege urgetur; ab hac enim, si in Angliam se conferat, liber est: neque ista Lege solutus est in eodem Belgio Hæreticus hac de causâ, quia Hæreticus est, quoniam in Italiam si veniat, illa vincietur. Cum itaque uterque solâ loci, quem incolit, ratione, ille quidem lege urgeatur, hic verò solvatur, sequitur, ut, quod inter se ineunt Matrimonium, non alio sit titulo irritum, nisi quia in loco, ubi Tridentinum viget, celebratum est. At cum locus sit mixtus, & tum à Catholicis Tridentini vinculo ligatis, tum ab Hæreticis, eodem solutis, promiscuè incolatur, contractum inter Hæreticum, & Catholicum Matrimonium, eodem planè jure potest dici contractum in loco, ubi Tridentinum viget, ac in loco, ubi non viget. Quamobrem cum nul-

*Vide seq. discept. §. 3. ubi idem argumentum magis adhuc elucidatur.*

lam, quâ de hujusmodi Matrimonii firmitate decidamus, normam à loco, in quo contrahitur, derivare possimus, quemadmodum in aliis solemus, hoc unum supereft, ut illud perinde consideremus, ac si contractum effet à duabus Personis, quarum alteri ratione sui faveat, alteri adveretur Tridentini Decretum. Quod si in posteriori casu Matrimonium clam celebratum ratum habeamus, non est, cur in priori negemus.

19. Ac, ne cui, argumentum, quod haud scio, an fusiùs, quām par erat, hactenus persecutus sum, à me excogitatum, & ideo parvi faciendum videatur, audiat Swanum, cuius prudentiam Auctor Bataviæ Sacræ, & doctrinam magnoperè commendat, illud idem *in dissert. de Sponsa duorum §. 7.* paucioribus concludentem—  
*Si valida sint Matrimonia contracta coram Magistratu, vel ministro Hæretico, dum utraque Pars est Acatholica, etiam valida dicenda videntur, tametsi una Pars duntaxat sit Acatholica;* eadem argumento, quo Matrimonium contractum in loco, ubi Decretum Concilii Tridentini non est publicatum, effet validum clandestinè initum, licet tantum una Pars in loco isto domicilium haberet, altera verò in loco, in quo Decretum est publicatum, & ita decisum fuisse à S. Congregatione, refert Wamesius *consil. can. 530.*

20. Neque hujuscे ratiocinationis vim frangit, quod contra sanxisse videtur S. Concilii Congregatio: Hæc enim Matrimonia, quæ fœderato in Belgio Catholici cum Hæreticis coram Loci Magistratu, aut Ministello Acatholico contrahunt, ideo

*Refertur à Van-Esken P. 2. tit. 12. cap. 5. n. 36.*

Ideò nulla declaravit, quia scilicet Tridentini Lege obligari inibi degentes Hæreticos censit: Swanius autem illos solutos ponit: & hinc quam reæstissimè concludit, non posse eotundem eum Catholicis sic celebrata Matrimonia, sine inconstan-  
tiæ notâ, irrita decerni.

## §. 4.

21. **A**ltterum, quod me in concepta opinione confirmavit, argumentum ducitur à consuetudine, quæ, ut testatur cit. Swanius, multo ante, & impendiò magis etiam post Castotensem apud Catholicos in consociato Belgio invaluit, coram loci Magistratu, aut Heterodoxo Ministelo Matrimonia cum Hæreticis non raro celebrandi. Quantum enim huic inveteratæ, atque ad hæc nostra tempora protractæ, nec unquam interruptae consuetudini tribuendum sit, facili negotio demonstrabo.

22. Omnis consuetudo contra legem, à tota aut majori parte communitatibus approbata, si sit rationabilis, & legitimè prescripta, quancunque ab Homine conditam Legem abrogat, per textus in cap. fin. de consuet. L. de quibus 32. ff. de LL., & L. fin. Cod. quæ sit longa consuetudo; Et quamvis hinc aliqui legem, quæ actum rescindat, excipiant, hos tamen solidissimè confutant Suarez, lib. 7. de LL. cap. 19., Sanchez, de Matrim. lib. 7. disp. 4. num. 14., Pontius lib. 6. cap. 4. num. 6., Perez. disp. 21. sect. 6. per totam, Gonzalez in cap. 1. de sponsal. num. 22. & in cap. Quod super. de consanguin. n. 2. Pirhing. ad tit. de sponsal. num. 152. aliique innumeri expressè insuper docentes, im-

pedimenta Ecclesiastico jure Matrimonium dirimentia solâ posse consuetudine auferri: Quod ipsum de impedimento *clandestinitatis* nominatum tradit *Castrop.* tract. 28. disp. 2. punct. 13. §. 8. num. 3.

23. Ut igitur statuamus, utrum istiusmodi quæ apud Catholicos in Belgio invecta est, consuetudo Tridentini legem de impedimento clandestinis Matrimoniis objecto, antiquaverit, non, inquirenda sunt omnino tria: primò quidem, an fuerit à majori parte communitatis *probata*, deinde an *rationabilis*, postremò an *juris prescripta*.

24. Ad primum autem quod spectat: illud ultrò concedo, non omnes Belgio Catholicos Matrimonia cum Hæreticis ita contrahere solitos; Verum ut omnium communis esse dicatur consuetudo, satis est, si quæ à plerisque sic inita palam sunt, Matrimonia, cæteri irrita non habuerint; Tunc enim se approbasse eadem non obscurè praesferunt: Nam ut lex aliqua extinguitur, non requiritur, ut illam universus Populus violet; abundè est, si his, qui per plures consequenter actus legem frangunt, tacitus consentiat. Ita *Menoch. de Arbitrariis lib. 2. centur. 1. casu. 181. num. 2. Suarez. de LL. lib. 7. cap. 10. num. 4. 5. Bonacina tom. 2. disp. 1. quæst. 2. punct. ult. §. 3. num. 22. ibi -- Quinta conditio est, ut major pars Communitatis perfectæ illam inducat, vel saltem Populus frequentiam actuum similium videat, & toleret; -- Zoëlius ad tit. de consuet. num. 1. ibi -- Ad consuetudinis justitiam, & valorem requiritur primo, ut sit inducta, à Communitate capace Le-*

gistrationis saltem passiva; Secundo, ut major ejus pars sciat, & consentiat in illius observationem; -- Pichler eodem tit. num. 9. ibi -- Actus, quibus introducitur, consuetudo, debent esse primò notorii, secundò tot, quot juxta arbitrium prudentis judicis sufficiunt ad colligendum Populi consensum, -- Schmier lib. 1. tract. 1. cap. 9. sect. 2, num. 72. ibi -- Quarta conditio ad consuetudinem est consensus Communitatis, non quidem totius, sed majoris partis &c.; -- Et quamvis ex publicis, notissimisque paucorum in legem delinquentium actionibus inferre Subito, & universim non liceat totius Populi consensum; hunc tamen rectissime, atque adeò evidenter colligimus, si legi, quæ illas esse jubet irritas, opponantur; Hinc enim statim manifestò apparet, utrum Populus justâ nihilominus illas auctoritate firmatas existimet, necne; firmatas autem si putet, ut in ejusmodi Matrimonii revera putat, paucorum consuetudinem ab universo comprobari populo, certò concludimus.

25. Apud omnes verò Catholicos si eadem consuetudo non vigeat, non ideo hoc evenit, quia Matrimonium Catholicum cum Hæretico, absente Parocho, contractum, arbitrantur irritum; sed quia paucissimi cum Hæreticis audent jungi Matrimonio, quod cum Ecclesiæ, tūm naturæ Legibus repugnare, probè norunt. Siqui autem vetita id genus Matrimonia celebraturi lubentiori animo Catholicum Parochum arcessant; illud est in causâ, vel quod noyo se peccato contaminare horreant, cum, nunquam Catholicis fas esse aliter, atque in Ecclesiæ facie nuptias inire, persu-

sum habeant : vel quod conjugium , cui Patochus benè non precatur , ratum quidem esse contractum , ad Sacramenti tamen excellentiam neutrquam evehi credant , quod quosdam sensisse Doctores , in prima disceptatione animadversum est.

26. Jam utrūm rationabilis fuerit , videamus. Licet Canonistæ , & Theologi multum operæ , & laboris magna in varietate , ac dissensione consumperint in explicando , quomodo possit dici rationabilis illa , quæ contra legem invaluit consuetudo , cum , quod contra legem venit , id cum rectâ ratione necessariò pugnet : Omnes tamen in hoc tandem convenire videntur ; rationabilem nimirum dicendam esse omnem consuetudinem , quæ naturali , aut Divino Juri contraria non sit , nec ex legislatoris contemptione oriatur , nec aliam turpitudinem , deformitatemve contineat , nisi quam ipsa parit oppositio cum lege , quam destruere conatur , nec in Jure denique nominatim improbetur , de qua re Suarez lib. 7. de LL. cap. 6. per totum , Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 24. num. 4. Fagnanus in cap. Utrum autem num. 14. de cognat. spirit. Pirbing. tit. de consuet. num. 31. & fusè nos ipsi superiori discept. num. 27. , ubi ex harum conditionum defectu Ecclesiasticas leges à nullis Hæreticorum consuetudinibus abrogari posse , probavimus. Jam verò ex his conditionibus ne una quidem caret Catholicorum in Belgio consuetudo Matrimonia cum Hæreticis coram loci Magistratu , aut Acatholico Ministello contrahendi. Non enim originem trahit vel ab errore contra Orthodoxam Fidem , cuius tenacissimi , & in medio

medio nationis pravæ retinentissimi sunt, vel ab odio in Romanum Pontificem, cui tanquam visibili Ecclesiæ capiti, & vicem Christi Domini gerenti, debitum honorem, & reverentiam exhibent: sed ab initio ortum habuit vel è studio se, Catholicosve Parochos ab Hæreticorum conspectu occultandi, vel è durâ legibus eorundem parendi necessitate, vel è voluntario ad Patriæ mores se fingendi desiderio; ad hæc nullus potest ex jure produci textus, quo eadem expressè improbetur. Cum ergo nihil ejusmodi consuetudinem deturpet intrinsecus, & inficiat, rationabilis profectò dicenda est.

27. Postremò illam esse jure præscriptam, meridianâ luce clarius est. Nam, ut contrâ Ecclesiæ legem præscribatur, abundè longum est quadraginta annorum spatum; neque enim longius postulat omnium tutissima sententia, quam cum *Gloss.*, & *Panorm.* in cap. fin. de consuet. sequuntur *Azorius Institut.* part. 1. lib. 5. cap. 4. quest. 4., *Molina de contract.* disp. 77., *Zoesius tit.* de consuet. num. 14., quanquam non defunt gravissimi DD., qui etiam canonicam legem contrariâ, quæ decem perseveret annos, consuetudine tolli, exquisitis confirmant rationibus, quos inter sunt *Lessius l. 2. de I. & I. cap. 14. num. 46.*, *Castrrop. tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 2. num. 9.*, *Diana part. 6. tract. 5. resolut. 2.*, *Cardinalis de Lugo de I. & I. disp. 7. sect. 6. num. 94.*, *Haunoldus de I. & I. tract. preem. num. 134.*, *Pirbing. tit. de consuet. num. 39.*, *Wiestner. eodem num. 30.*, *Reiffenstuel. num. 105.*, liique ab his citati. Porrò consuetudo, de qua n præsenti, cum longo ante Castoriensem inter-

vallo introducta sit, non decem modo, vel quædraginta, sed fortasse etiam amplius centum annos durat.

28. Quare ejusmodi consuetudo à majori parte Communitatis approbata, fuerit rationabilis, & nunc sit legitimè præscripta, planè non video, quidnam præterea desideretur, ut victa per illam Tridentini lex, & abrogata tandem censeatur. At enim deest Legislatoris consensus, à quo omnis vis in consuetudinem, & efficacitas derivatur: Non profectò. Nam ad firmandam, quæ legem deleat, consuetudinem, non novus, & personalis, sed antiquus ille, & legalis interponi debet Legislatoris consensus, qui ex adductis colligitur iuribus, quibus constat omnes utrique Legislatori, Sacro nimurum, & profano probati consuetudines, quotquot tres supra memoratae conditiones comitantur. Ita Panorm. in cap. fin. de consuet. num. 13., Rochus de Curte tract. de consuet. sect. 4. num. 11. Covarr. in Reg. Possessor. part. 2. pri. num. 9., Suarez de LL. lib. 7. cap. 13. num. 7., Castrop. cit. disp. 3. punct. 2. §. 4. num. 3. aliique communiter.

29. Sed ne, pro veritate cum scribam, quidquam dissimulare videar, illud ex contraria parte dici potest. Estò: Consuetudini, ut legem rescindat, consentire per se Legislatorem non sit necesse: eidem tamen aperte non resistere, necesse est; tunc verò palam repugnat, quando in Tribunali sedens pro sua lege contra consuetudinem fert judicium, quod ex communi Doctorum sententiâ docent Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 24. num. 14., Engel. tit. de consuet. num. 20., <sup>3</sup> Reiffen-

Reiffenstuell, eodem num. 134. Hoc autem consuetudini, de qua sermo est, accidisse compertum est. Nam S. Concilii Congregatio, quæ Summi Pontificis nomine hujusmodi controversias cognoscit, saepius Matrimonia, quæ Catholici cum Hæreticis fœderato in Belgio sine Tridentini formulâ celebrant, irrita declaravit, quin diuturnæ apud Catholicos sic Matrimonia celebrandi consuetudinis ullam habuerit rationem.

30. Verum, quibus hæc objecta diluam, mihi plura occurunt. Et primò quidem non eo inficias, consuetudinem ante statum præscriptionis tempus per contrariam quempiam Legislatoris actum interrumpi, quod à laudatis DD. moneatur. Sed ut ejusmodi actus consuetudinem infringat, intercidatque, publicus esse debet: & manifestus, ita, ut Hominum societatem, qui istâ utuntur consuetudine, nequeat latere; per occultum enim, tacitumque Principis actum palam, & publicè vigens consuetudo retundi nullo modo potest. Immò cum præscriptionis indolem imitetur consuetudo, non videtur per aliam actus à Principe oppositi notitiam, nisi per juridicam tolli posse; Nam qui sunt in possessione consuetudinis, non tenentur fidem statim habere incerto rumori de latâ à Principe pro sua lege in consuetudinem sententiâ, quemadmodum cum agitur de præscriptione interrumpenda, fieri debere, contendunt plerique, quos sequitur *Engel ad eum tit.*  
*§. de continuatione possessionis Versic. Interrumpitur autem præscriptio.* Ut igitur quas Sac. Congregatio edidit, sanctiones, consuetudinem, de qua loquimur, omni auctoritate exuerent, toti Ca-

tholicorum fœderato in Belgio Habitantium cætu debito illas modo significari, opus erat, nec sicut fuit solum huic, vel illi Homini, cuius id intererat, exhiberi, atque in Sac. Congregationis actis deinceps delitescere, quod unum reverâ accidisse scimus.

31. Deinde aëtus, quibus legislator it obviam consuetudini, hanc quidem antea suffocant, quæ tempus ad legitimam ejusdem præscriptionem necessarium elabatur, tamen simul atque id temporis fluxit, & jam Lex per consuetudinem eversa fuit, non omnes, in quos erumpit Princeps, aëtus, sunt efficaces, sed nova profecto requiritur lex, quæ consuetudo, quæ legis naturam jam induit, explicitè, & nominatim à Principe revocetur. Quæ conceptissima laudatorum DD. Sententia est, nempe Layman. cit. cap. 24 num. 14. ibi -- Tam ea consuetudo, quæ præter Legem tendit ad statuendum jus, tamea, quæ contra legem tendit ad ipsam abolendam, uno aëtu contrario interruptur..... Quare si ante tempus legitimum, puta annos decem, vel quadraginta completos legislator civilis, vel Ecclesiasticus Transgressores puniat, vel in Tribunalis suo pro lege contra consuetudinem judicet, præscriptio interruptur: ideoque de novo postea inchoari debet, ut Legem temporis progressu vincere possit. Quod si vero etapso tempore legitimo consuetudo completa sit, non tolletur uno aëtu contrario, sed vel Principis lege consuetudinis abrogatoriâ, vel contraria novâ consuetudine cum temporis diuturnitate -- Engel cit. num. 20. ibi -- Si tempus consuetudinis jam esset completum, unus aëtus contrarium non noceret, sed deberet consuetudo tolli eo modo,

qno

quo mox dicemus Et infra -- Tollitur consuetudo semel  
legitimè constituta , & introducta non per unum  
actum contrarium, sed per consuetudinem, aut legem  
contrariam -- , Reiffenstuel cit. loco ibi -- Quod si  
post lapsum legitimi temporis consuetudo jam fuerit  
completa, & firmata, tunc ea per unicum actum Po-  
puli contravenientis non revocatur : sed vel opus est  
lege superioris , consuetudinem illam expresse dero-  
gantis , vel nova contraria consuetudine cum tempo-  
ris diuturnitate , aliisque requisitis..... Ratio  
est , quia consuetudo jam præscripta induxit novum  
jus, cum habeat vim legis, atque huic non derogatur,  
nisi vel per expressam Principis revocationem , vel  
per contrariam consuetudinem ritè præscriptam,  
ergo &c.--

32. At consuetudo contrahendi Matrimonia  
cum Hæreticis , absente Parocho, si apud Catholicos in Belgio longè ante Castoriensis ætatem inva-  
luit , ut à Svvanio accepimus , multoque magis , si  
tum, cum eisdem Provincias Hæretici occuparunt,  
incepit, quod mihi persuasissimum est, jampridem  
fuerat præscripta , quandò S. Congregatio unum  
aut alterum ex hisce Matrimoniis irritum pronun-  
tiavit : Quapropter non potuit per has respon-  
siones ad peculiares quæstiones datas infringi , sed  
universali opus fuisset lege , qua ea consuetudo  
explicitè deleretur. Tantum autem abest , ut hæc  
lex unquam amanaverit , ut Sacra Congregatio ge-  
neratim , ut in illa Hollandiae Matrim. 1681. in  
sæpius memoratis Annotationibus relatà genera-  
tim , inquam , interrogata -- An in Provinciis Bel-  
gii fæderati valerent Matrimonia Catholicorum cum  
Heterodoxis contracta coram Magistratu loci men-

tem aperire suam , & distinctè respondere noluerit.

33. Ad ista , quæ dicta sunt , accedit , quod Clemens XI. de his potissimum Matrimoniis -- ab Hæretico , & Catholico coram ministro Hæretico in Provinciis Hollandia contractis -- Nuncio Coloniensi ut hoc daretur responsum , mandaverit -- gravibus de causis nihil adhuc generatim , & universè statuendum , estimatum fuit -- quod ex pag. per Illustrissimum , ac Reverendissimum Assessorem distributa patet . Quo gravissimo Summi Pontificis Judicio si plurimum hebetari sanctiones S. Cong. Hæreticorum clandestina Conjugia damnantis conclusimus , consequens illud est , ut sanctiones , si quas eadem S. Congregatio contra Catholicorum in Belgio consuetudinem Matrimonia cum Hæreticis sine Tridentina formâ contrahendi , condidit , debilitari vehementer , & infirmari dicamus.

### §. 5.

34. Tertiū denique , quod mihi hanc opinionem injectit , fuit auctoritas Doctrinæ eidem subscriptentium . Fateor quidem , non omnes , qui clandestina Hæreticorum inter se Matrimonia tuentur , etiam Catholicorum cum Hæreticis defendere , nihilò tamen minus non paucos magni nominis DD. inveni , qui idem de utrisque judicium proferunt . Hi sunt LAYMAN . lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 7. , PIRHING . ad tit. de clandest. sponsat. n. 12. , qui generaliter affirmant , in mixtæ Religionis Urbibus Matrimonia sine legitimo Pastore celebrata valere , neque Matrimo-

rimonia, quæ Hæretici inter se, ab illis, quæ Catholici cum Hæreticis ineunt, distinguunt. Generaliter etiam, nulloque inter prima, & secunda distinctione idem asserunt DICASTILLO de Matr. diff. 3. dub. 4., ARSDEKIN. *Theolog. tripart.* tom. 2. part. 2. tract. 4. cap. 8. num. 4., WIESTNER tit. de sponsal. num. 192., & seqq. disertè autem, atque ex professo id propugnant STALENUS in supracit. *dissert. Theologo--polit.* part. 2., Svaen. in *dissert. de sponsa duorum* §. 7., ubi narrat, idem quoq. sensisse quatuor DD. Parisienses à Castoriensi consultos, RUGLER. *de Matrim.* quest. 65. n. 903., VANESPEN. I. E. part. 2. tit. 12. n. 36. PICHLER ad tit. de clandest. *desponsat.* num. 17. in resp. ad 3., & alii. Jam vero cum Doctorum sententiam, quam, teste laudato Svanio, Missionariorum in Belgio praxis confirmat, probabilem, verique similem negare non audeam, illicò exurgere video illud ipsum, ut dicunt, reflexum argumentum, quo *præced. discept.* num. 48. conjugorum ab Hæreticis initiorum firmitatem evicimus: cui quidem argumento, nè actum, ut ajunt, agam, in præsenti supersedeo.

35. Nec silentio prætereundum est, de clandestinis Mattimoniis Catholicorum cum Hæreticis præcipue sermonem tum fuisse, cum Clemens XI. moneri jussit Vicarios Apostolicos, ac Missionarios Belgii federati, ut in definiendo, an rata sint, necne -- Secundum eorum prudentiam, ac probatam Auctorum doctrinam se gererent -- Ex quo alterutrum omnino colligitur, vel laudatorum Auctorum doctrinam, quam omnes Belgici Missionarii tam Seculares, quam Regulares, teste Eminentissimo

ab

ab Alsatio in s̄epiūs citata Relatione §. *Igitur EE.*  
*Vestrās ad usum revocant*, esse improbandam,  
 quod quidem ego si dicam nimis arrogans sim, vel  
 tutam in praxi reputandam.

36. Quæ cum ita sint, Matrimonia à Catholicis  
 cum Hæreticis in fœderato Belgio coram loci Ma-  
 gistratu, aut Heterodoxo Ministello contracta, esse  
 rata sentio.

*Ægidius Maria Giulii Soc. Jesu.*

## DISCEPTATIO TERTIA

Super reliquis Dubiis.

**S**I Matrimonia, de quibus in superioribus dis-  
 ceptationibus egimus, rata pronuncientur,  
 quæ hinc continuò oriri facile poterunt quæ-  
 stiones, paucis si examinem, momentisque pon-  
 derem quasque suis, operæ me pretium facturum  
 arbitror: Porrò quò brevitati magis studeam, non  
 illas eò, quò mihi propositæ sunt, ordine, dis-  
 cutere, sed quæ quodam quasi affinitatis vinculo  
 inter se continentur, unà congerere, congregataque  
 eādem responsione complecti visum est.

§. I.

Dubium 2.

*An valida censenda sint Matrimonia clande-  
 stina extra fines dominii fœderatorum Or-  
 dinum inter se contracta ab Hæreticis ad-  
 dictis Legionibus, quæ ad præsidia eorum  
 curæ commissa, mittuntur in loca, ubi vi-  
 get dispositio Concilii Tridentini?*

Dubi-

## Dubium 9.

*An eadem valida sint, quando utraque Pars est quidem addicta prædictis Legionibus, sed una est Catholica, altera Hæretica?*

1. **A** pud Principes viros mutuo bello implicatos, inter cæteras conventiones, quibus exortas controversias per modum transactionis sedabant, illud ab antiquis usque temporibus in more positum fuit, ut alteri administrandæ Civitatis potestas tribueretur, alteri, ut finitimæ suæ ditionis securitati consuleret, ejusdem Civitatis arcem præsidio muniendi jus fieret: sic Quintio Flaminio complacitum fuisse, legimus in ejus vita apud Plut. -- *Ut Græcis redderetur libertas, Corintho autem, Chalcidi, & Demetriadi imponeretur præsidium* -- Quamquam eam conditionem postea idem ultrò remiserit -- *Ut beneficium suum Græci haberent sincerum* -- Livius contrà L. 25. narrat Tarentum Annibali à Nicone, & Philomeno per fraudem traditum, eâ lege, ut promitteret -- *Liberos Tarentinos, leges, suaque omnia habituros, neque ullum victigal Pæno pensuros, præsidiumve invitos recepturos* -- Veterem hunc morem imitati Augustissimus Cæsar, atque fœderati Belgii Ordines pacem anno 1713. Ultrajecti constituerunt hac pactione, ut in aliquot Urbibus dominaretur Cæsar, in earundem verò Arcibus excubias fœderati Ordines collocarent.

2. Legiones, quæ illas Arces custoditum ex Hollandiæ medio mittuntur, comitari solent feminae, quæ hac de causâ militares appellantur. Istæ dum

dum in iis Urbibus Cæsari subjectis commorantur, cum legionariis illis Militibus more patrio, nullo scilicet Catholico Parocho adscito, Matrimonia ineunt. Jam verò sint ne rata ejusmodi Matrimonia, nec ne sint, illud in controversia est.

3. Ego quidem idem prorsus de his, quod de illis, quæ conjunctas intra Provincias celebrantur, sentio. Etenim cum illæ Legiones neque sint mercède à Cæsare conductæ, neque obiter, & tanquam hospites in ejus Urbibus peregrinentur, sed jure suo, atque ex pacto cum Cæsare inito, stabilem quodammodo sedem, certumque ibi domicilium habeant, censentur Pars Reipublicæ Hollandicæ, quæ ad illas usque Urbes, in quibus prædiarias cohortes constituendi Jus obtinuit, pretendi existimanda est. Ea propter si rata statuantur Matrimonia, quæ sive Hæretici inter se, sive cum Hæreticis Catholici fæderatas intra Provincias clanculum contrahunt, rata sint oportet etiam illa, quæ eodem modo in memoratis Urbibus ineunt duo, sive sint Hæretici, sive alteruter sit Catholicus; dummodo tamen ad prædiarias Legiones ambo pertineant. Ità & quidem benignius de Millatum Legione, quæ ex Hollandia Coloniam dicerat, licet mox recessura, respondit *La-Croix lib. 6, part. 3. num. 753.*

### §. 2.

#### Dubium 3.

*An idem censendum sit de Matrimoniiis ut supra inter Hæreticos contractis, quando alterutra Pars non est addicta præfatis Legionibus,*

bus, sive habeat, sive non, domicilium  
in loco, ubi viget dispositio Tridentini?

Dubium 4.

Quid censendum sit, quando neutra Pars ad-  
dicta est Legionibus praedictis, & sive ha-  
beat, sive non domicilium in loco, ubi vi-  
get dispositio Tridentini, ibidem contrahat  
Matrimonium, ejus formâ non servata?

Dubium 8.

An Hæretica Pars fæderatorum Ordinum sub-  
dita accedens ad loca, Catholicorum domi-  
nio subjecta, ibique cum Parte Catholica  
contrahens absque forma Tridentini, ibi-  
dem alioquin vigente, valide contrahat?

Dubium 10.

Quid si altera Pars addicta sit præfatis Legio-  
nibus?

4. **M**atrimonii æquè atque cæterorum omni-  
um contractuum, firmitas, & robur, à  
Legibus in loco, ubi conficiuntur, vigentibus om-  
nino pendet, ut argumento cap. fin. de Foro com-  
pet., & L. si fundum 6. ff. de evict. docent Sanchez  
lib. 3. de Matrim. disp. 18. num. 10., Pontius lib.  
5. cap. 9. num. 1., Bosco disp. 11. sect. 9. concl. 6.  
num. 192. Ideò Reiffenstuell ad tit. de clandestina  
desponsat. num. 130. — Qui è loco, inquit, non pro-  
mulgati, vel non recepti, ad locum recepti Concilii  
Tridentini in puncto clandestinitatis se conferunt.

non

*non possunt ibi validè contrahere Matrimonium sine  
præsentia Parochi, & Testium, sive ibidem domici-  
lium figant, sive tantum transeant. Est communis,  
& certa, caretque controversia.*

5. Ab hac generali regula conscriptos in pra-  
sidiaria Legione Milites, quibus feminæ militares  
nubunt, excepimus, nam tota illa Legio quippe  
cum Hollandicæ Reipublicæ Pars habeatur, iisdem  
atque in Hollandia Juribus gaudet. Hæc autem  
ratio valet, si utraque Pars eidem sit Legioni ad-  
dicta, sin minus, nullius momenti est. In Milite  
enim Legionario, utpote qui quasi domicilium ha-  
bet in loco Tridentini Decreto obnoxio, non ma-  
jor sita est potestas clandestinum Matrimonium  
inseundi cum femina, quæ Legionem non attingat,  
quam sita in eo sit, qui ad eumdem locum, ex  
Hollandia se confert, quam primum in Patriam  
rediturus. Quare si quod hic cum Femina indi-  
gena, sine Parocco, & Testibus, Matrimonium ibi  
contrahit, irritum reputatur, ut communis omni-  
um, & certa sententia fert, nulla ratione quod illi  
cum eadem Femina ibidem, eodemque modo cele-  
brat, possumus sustinere.

6. At, inquires: an non igitur in individuali  
contractibus privilegium unius sit commune so-  
cio? Ajo enim verò. Sed immunitas à Triden-  
tino, quæ fruuntur Hæretici, cum sit *localis*, fœde-  
ratarum Provinciarum fines prætergredi neutri-  
quam potest. Quod si Legionarios Milites etiam  
ex illis egressos comitetur, illud in causa est, quia  
intra eosdem fines adhuc eos consistere, per quan-  
dam fictionem judicamus. Hæc autem fictio locum  
quidem habet, si uterque contrahentium ad eam

Legio-

Legionem pertineat, minimè verò, si unus duntaxat. Quod aliarum conventionum comparatione perspicuum fiet: Pone enim, Cæsarem de certa quadam forma in emptionibus faciendis utenda ferre legem: Hæc Legionarium etiam Militem, qui in Belgii Urbe Cæsari subjecta cum ejusdem Urbis Civis stipulatur, alligabit. At si inter duos Legionarios milites conventio instituatur, neutrum adstringet; pactio enim, quam illi inter se ibi constant, ubi more patrio, propriisque legibus vivunt, perinde se habet, ac si in patria peragere-

7. Quod verò ad clandestinum duorum, quorum neuter illis sit legionibus addictus, Matrimonium attinet, cum nulla persuadeat ratio illos generali eximendos lege, quæ conventionis formam in loco, ubi transigitur, vigentem servari jubet, multò illud magis est irritum pronunciandum. Quæ cum ita sint, ad 3., 4., 8., & 10, existimo, negative respondendum,

8. Illud tamen hoc loci notatum velim: licet nullum sit Matrimonium, quod in Belgio Catholico inceunt Vir, & Femina, qui fœderato in Belgio domicilium habent (excipe illos, qui præsidariis legionibus alligati sunt) nihilominus ad fœderatas Provincias ambo posteà si redeant, ibique tanquam Conjuges simul vivant, non statim pellicatus criminе damnandos, neque, ad Catholicam Religionem si traducantur, sine ulteriori disquisitione, actu tum separandos. Nam clandestinum Matrimonium, ubi Tridentinum viget, à Puberibus initum, Sponsaliorum vim obtinere quamplurimi DD, autumant, quos inter Henr.

quez de Sacram. lib. 11. cap. 5. num. 4. Ledeſma  
de Matrim. dub. 18. Layman. lib. 5. tract. 10. part.  
2. cap. 1. num. 18., & alii, quorum opinionem  
Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 20. num. 2. pro-  
babilem, Castrop. tract. 28. disp. 1. punc. 4. num.  
3., si Juris severitate rem metiamur, probabili-  
rem, & Perez de Matrim. disp. 8. sect. 4. num. 3.  
¶ 5. etiam veriorem dicunt. Porro Sponsalia a  
antiquo Jure per subsecutum concubitum Matri-  
monii naturam induebant cap. Veniens 15., ¶ cap.  
Is, qui 30. de Sponsal., ubi Barbosa, ¶ Gonzalez.  
Quod Jus hodieque ubi Tridentinum non viget  
locum habere cum communi affirmant, Gonzalez  
in cit. cap. Is, qui num. 2. in fine, ¶ Schmalzgrue-  
ber. ad tit. de Sponsal. num. 118. Quamobrem si  
Hæreticos consociati Belgii Cives, quoquo tan-  
dem nomine, Tridentini Lege solutos constitu-  
mus, negare haud possumus per copulam, que  
clandestinum illud Matrimonium consequitur, si  
modò Sponsaliorum loco æstimetur, verum apud  
illos, & ratum effici Matrimonium.

9. Neque illud obstat, quod iisdem in locis  
leges latæ sint, quæ omne Matrimonium, quod  
coram loci Magistratu, aut Heterodoxo Ministello  
contractum non sit, irritum esse jubent. Hujus-  
modi enim leges profana latæ sunt potestate, cui  
Matrimonium secundum civiles quidem effectus  
rescindere integrum est, non secundum contra-  
ctus rationem, cuius abrogandi facultatem, ex  
quo ad Sacramenti excellentiam evectus fuit, penes  
solam Ecclesiam esse, cum D. Th. in 4. dist. 42.  
quæst. 2. art. 2. ad 4. docent Bellarminus lib. 1. de  
Matrim. cap. 32., Covarr. de sponsal. part. 2. cap.  
6. §.

6. §. 10. num. 16., Fagnanus in cap. 1. de cognat. spirit. num. 22. aliique recentiores contra Lan-

nojum.

## §. 3.

## Dubium. 6.

*An si Pars Catholica extera veniens in loca dictis fœderatis ordinibus subjecta contrahat ibidem Matrimonium cum parte heretica loci, non servata formâ Concilii, valide contrahat?*

10. **S**imul ac fœderati Belgii Hæreticos à Tridentini Decreto intra suas Provincias imunes esse, concedamus, statim sequitur, ut de Matrimonio, quod cum Catholicis exteris clanculum iisdem in locis ineunt, planè eamdem ferimus sententiam, quam de Matrimonio clanculum ab Italo Catholico in Anglia cu[m] muliere Hæretica ibidem domicilium habente contraeto: Hoc autem ratum esse, & fuse in superiore disceptatione num. 13. ostendimus, & una mente consentiunt DD. Non est igitur recusandum, quin & illud quoque ratum esse dicamus.

11. Neque hic illa opus est distinctione, quam litteris in forma Brevis ad Archiepiscopum Coloniensem 14. Augusti 1627. datis, de quibus *Cardinalis de Lugo respons. moral. lib. 1. dub. 36.*, & *Gobat. Theolog. experim. tract. 9. num. 481.* meminerunt, quam, inquam, ex Sacrae Congreg. Conc. sententia statuit Urbanus VIII. adhibendam, inter Hominem, qui è loco, ubi Tridentinum receptum est, ad locum, ubi receptum non est, se-

confert in fraudem, & Hominem, qui aliò, quam saluberrimum Tridentini Decretum eludendi animo illuc proficiscitur. Hæc enim distinctio tunc solum locum habere potest, quando & Vir, & Femina Matrimonium inter se contracturi in locum se recipiunt, in quo Tridentinum non vigeat; Unum enim hunc casum respicit ante memoratum Urbani Decretum, quod ex ejus verbis patet -- si eò prefati Incolætām Masculi, quam Femina solo animo sine Parocho, & Testibus comprehendi se transferunt, habitationem non mutantes, non verò quando solus vir illum locum petit, ut ibi cum Femina loci Incola Matrimonium ineant, aut versavice. Siquidem tunc cum altera Pars per se, & ratione loci, in quo domicilium habet, Tridentini lege solvatur, quam longissimè abest ab altera omnis fraudis suspicio, sicuti rectè primum ab altero casu se jungentes notant Gobat. cit. loc. num. 479. Engel. tit. de clandest. despōns. num. 20. Reiffenstuel. eodem num. 121. Schmalzgrueber, eodem num. 108. Roncaglia tract. 9. cap. 19. num. 40.

12. Verùm Locus hic postulat, ut moram hac in re trahamus, quo apertiùs ea, quæ in superiori disceptatione diximus, ante omnium oculos proponamus. Si Hæretici consociato in Belgio Tridentini Decreto solvantur, consequens omnino illud est, ut iidem, dum intra suas Provincias commorantur, quod ad clandestina Matrimonia spectat, censeantur eodem jure, quo in suis Regionibus censentur Hæretici Angliæ, Saxoniz, & Daniæ. Hos verò in suis Regionibus ratum sine Parocho, & Testibus Matrimonium inire cum

Parte

Parte Catholica, quæ ex Italia, aut ex Hispania, aut ex alio loco, ubi Tridentinum viget, illuc se conferat, è vestigio recessura, communis omnium Sententia tuetur, suoque S. Congregatio confirmavit oraculo: Quod cum constet, idem de illis feratur judicium, necesse est.

13. Si autem Pars Hæretica intra Hollandiam, ubi domicilium habet, Partem Catholicam exterram, cum qua conjutigitur, à Tridentini Lege eximit, nulla est ratio, cur non Catholicam etiam Partem, quæ ejusdem Hollandiæ civis sit, eximat. Neutra enim Pars Catholica ad Matrimonium sine Parocho, & Testibus celebrandum per se, & absolutè effecta est inhabilis, sed duntaxat effecta est inhabilis ad Matrimonium sic celebrandum cum Persona, quæ, ubi contractus conficitur, ibi Tridentini Lege vinciatur. Quod si nuptias ineant cum Persona in Loco, quo in loco hæc sit Tridentini vinculo soluta; tam Pars Catholica extera, quam indigena Tridentini Decreto pariter, æqualiterque immunes evadunt, suamque ad Matrimonium claram contrahendum habilitatem recuperant.

14. Quarè, quemadmodum si Hæreticos Hollandiæ habitatores Tridentini præscripto liberos esse concedas, nullum adduci potest efficax argumentum, quod solidè persuadeat, non posse illos in Patria, præter Tridentini normam, rato cum Parte Catholica exterâ jungi conjugio, ut posse Hæreticos Angliæ, aliorumque locorum, in quibus Tridentinum jacet, perspicuum est: ita inter Catholicum exterum, & Catholicum Hollandiæ Civem, quod ad hoc caput attinet, nullum aptè poterit statui discrimen.

15. Dicet fortassè quispiam , hoc inter illos  
discriminis interesse ; quod Hæretici Angliae,  
Saxoniæ , aliorumque locorum , in quibus Tridentinum  
non est publicatum , per se , atque attentâ  
Tridentini litterâ , ab ejusdem Decreto excipian-  
tur ; Hæretici contrâ Batavi intra fœderatas Pro-  
vincias , in quibus Tridentinum fuisse promulga-  
tum , liquet , ab illo eximantur solum per quandam  
Epieikiam , seu benignam ejusdem Tridentini , &  
mentis Ecclesiæ interpretationem ; quæ quidem  
Epieikia non est extendenda ad Catholicos , ne-  
quod ex mera Ecclesiæ indulgentia derivatur , ni-  
miam foveat laxitatem .

16. Porrò ad ista respondeo . In primis qua-  
cunque tandem causa sit , quamobrem fœderato in  
Belgio Hæretici Tridentini regula non premantur ,  
ab illa tamen statim ut eximuntur , eodem jure eos  
metiri debemus , quo metimur Hæreticos Angliae,  
Saxoniæ &c. , nec in nostra privatorum Hominum  
potestate situm est , ut in connubiis celebrandis  
alias iis leges præscribamus diversas ab illis , secun-  
dum quas de Matrimoniois initis ab Hæreticis An-  
gliae , Saxoniæ , aliorumque similium locorum , in  
quibus Tridentinum non viget , judicamus .

17. Deinde vagos Homines posse Matrimo-  
nium contrahere coram Parocho loci , ubi , dum  
contrahunt , casu sunt , quamvis mox abituri , DD.  
affirmant solâ freti Epieikiâ : ejusmodi enim Paro-  
chus , si cum veritate loquamur , non est illorum va-  
gorum Hominum *proprius* , qualem Tridentinum  
exposcit : ut in 1. *discept.* num. 41. notavimus .  
Tamen si vagus Homo , qui heri Romam venit ,  
nuptias hodiè inire velit cum femina , cui in Paro-  
chia

chia E. G. Divi Petri domicilium est, convenire neutquam necesse habet eum, qui alterius è Conjugibus reverà proprius esset, D. Petri Parochum, sed quemcunque ipse vagus elegerit, ut probat Sanchez L. 3. de Matrim. disp. 25. num. 11., vel juxta severiorem Sententiam, quam sequitur Pirking. ad tit. de clandest. despofat. num. 19. Parochum illius Parochiæ, intra cujus fines vagus hodie commoratur. Quoniam, cum hoc privilegio per Epieikiam vagus frui dicatur, ob individuam contractus Conjugalis naturam, ejusdem privilegii participem facit feminam, quam dicit Uxorem: quin huic, quæ Parochum verissimè proprium habet, se accommodare teneatur, quemadmodum cum aliis DD., quos laudat, ratiocinatur Schmalzgrueber. tit. de clandest. despof. num. 164. Itaque si per Epieikiam, seu benignam mentis Ecclesiæ interpretationem censemus, Hæreticos foederati Belgii intra easdem Provincias esse Tridentini lege solutos, ob eandem rationem, individuam nimirùm contractus Conjugalis naturam, ponamus oportet, eosdem cum Catholicis tūm exteris, tūm indigenis posse ibidem, sine Tridentini forma, valido Matrimonio conjungi. Neque hoc afferentes in laxitatem deflectimus, cum id statuamus, quod ex rei natura, atque ex juris præscripto illam Hæreticorum à Tridentino exemptionem necessariò consequitur.

\* \*

T 4

§. 4.

§. 4.

Dubium. 7.

*An idem censendum sit, si Pars Acatholica extra in eadem loca veniens, simili modo contrahat cum Catholica?*

18. SI Acatholicus illuc se recipiat eo animo, ut verum ibi domicilium, vel quasi domicilium collocet, Matrimonium, ajo, esse ratum. Cum enim per verum domicilium, vel quasi domicilium Acatholicus illius Regionis Incola evadat, consequens est, ut iisdem Juribus, quibus ceteri Catholicici in eodem loco nati, gaudeat.

19. Si verò Acatholicus eò proficiscatur brevi recessurus, Matrimonium est irritum. Nam Catholica Pars ibi Tridentini Decreto adstringitur; ex quo fit, ut nisi juxta formam à Tridentino prescriptam, cum extero, cujuscunque Religionis sit, frustra omnino, & inaniter contrahat Matrimonium.

20. Neque hac in re inter hæreticum loci Civem, & hæreticum exterum potest commodùm institui comparatio: iccirco enim ille cum Catholica muliere, etiam qua præter Tridentini disciplinam ritè conjungitur, quia ratione loci, in quo domicilium habet, à Tridentini Decreto eximitur, atque hujusce exemptionis Feminam Catholicam, quam ibidem in uxorem dicit, necessariò facit participem. Hæreticus verò exterus cum in illo loco nec domicilium, nec quasi domicilium habeat, Tridentini Decreto neque per se solvit, neque ligatur, sed aut libertatem, aut vinculum mutuantur

tuatur à Persona loci Incola, cum qua copulatur.  
Quare sicuti Contrahens cum Parte Hæretica loci  
Cive, per hanc à vinculo Tridentini liber est, ita  
contrahens cum Parte Catholica ejusdem loci, per  
illam fit Tridentini ligamini obnoxia, quo Pars  
Catholica Indigena ibidem obstringitur.

§. 5.

Dubium 8.

*Quid censendum sit de valore Matrimoniorum,  
quæ sine Tridentini formâ contrahuntur vel  
ab Hereticis inter se, vel à Parte hæretica  
cum Catholica in Civitate Mosæ Trajectensis,  
quæ à Republica fœderatorum Ordinum non  
Jure dominii, sed tantum oppignorationis  
nomine possidetur?*

21. **P**Arùm ad præsentem quæstionem conduce videtur, quonam Jure an pleni Dominii, an tantum oppignorationis Mosam Trajectinam fœderati Ordines possideant, si reapse ita possideant, ut absoluto illam dominatu regant, suisque legibus moderentur. Etenim oppignoratio id unum efficit, ut Urbem eâ possideant conditione, ut illam ne alienent, sed ut priori Domino restituant, cum ex pacto ante initio redimere collibitum fuerit. Ejusmodi autem conditione verum rei dominium non tolli, asserit Seneca de beneficiis lib. 7. cap. 12. ibi -- Non est argumentum, ideo aliquid tuum non esse, quia vendere non potes, quia consumere, quia mutare in deterius, aut melius non potes. Tuum enim est, quod sub certa lege tuum est --. Quamobrem eadem de Matrimoniis in eâ Urbe

T 5 con-

contractis, atque de illis, quæ aliis in locis Hol-  
landicæ Reipublicæ subjectis celebrantur, sen-  
tentia videtur ferenda:

## §. 6.

## Dubium 9.

*An super his omnibus sit consulendum Sanctissi-  
mo pro aliqua declaratione, & quâ?*

22. **R**omano Pontifici in honore Beatissimi Petri  
Patrum Decreta peculiarem omnem de-  
crevere reverentiam in requirendis Dei rebus, que  
omnino & sollicitè debent, maxime verò justeque ab  
ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius  
vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam pro-  
bare laudanda -- In eam sententiam scripserunt  
olim ad Theodorum Papam Africani Antistites, &  
meritò; quia Petro, ejusque Successoribus, uni-  
versi sui Gregis pascendi curam Christus Domi-  
nus demandavit. Hinc porrò fit, ut cum Bel-  
gii Episcopi supremum totius Ecclesiæ Doctorem,  
& Magistrum de re, quæ tanti sit momenti, at-  
que adeò in dies occurrat, sententiam flagitent,  
non æquitas modò, sed necessitas etiam postulet;  
ut Summus Pontifex opportunâ illis decisione fa-  
ciat satis. Quid autem definiendum de hisce  
Matrimoniis, statuendumque sit, Purpuratorum  
Patrum pro eâ, quâ pollent sapientiâ, & pruden-  
tiâ, perpensis ritè, quæ productæ sunt, rationi-  
bus, Judicium esto.

*Ægidius Maria Giulii Soc. Jesu.*

RELA-

K.

R E L A T I O

*Reverendissimi Episcopi Brugensis.*

**E**GO Henricus Josephus, Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Brugensis, perpetuus, & hæreditarius Flandriæ Cancellerius &c. fidem facio, & attestor, tum ex Registris Episcopatus Brugensis, tum ex propria scientia mihi constare.

1. Quod in parte Diæcœeos meæ, quæ gemit sub Calviniano Ordinum fœderati Belgii Regimine, à tempore, quo vi armorum subacta fuit, Matrimonia inter partes Acatholicas contrahantur coram Prædicutiis, sive Ministris Hæreticis. Impossibile est hoc impedire, & ideo coguntur illa tolerare.

2. Quod in ista parte Romano Catholici, postquam coram Magistratu Calviniano habitis tribus Dominicis solemnibus denuntiationibus Matrimonii contractum juxta civilia Patriæ statuta iniverunt Sacramentum Matrimonii coram Parocho, & Testibus ex præscripto S. Concilii Tridenti Seff. 24. C. 1. de Refor. Matrim. contrahant.

3. Quod ibidem nec à Prædecessoribus meis, nec à me hactenus Catholicos inter, & Acatholicos Matrimonia permissa fuerint; cum Catholicæ Episcopali Jurisdictioni subsint, & talia Matrimonia tam graviter per Sacros Canones sint inhibita, atque per hoc hæresecos periculo Catholicæ exponerentur.

4. Quod

4. Quod constans Diæceseos hujus praxis sit, ut Matrimonia in fœderatis Provinciis coram Prædicatio, vel Magistratu hæretico inter Catholicos contracta ab iis, qui veniunt in hac Diæcesi habitatum, coram Parocho, & Testibus renoventur.

5. Quod dum una pars talium Conjugum Acatolica est, zelosus aliquis Parochus, aut Religiosus ei assignari soleat, à quo in Fide recte instruatur, & dein emissâ Fidei Professione, servata que formâ in Concilio Tridentino præscriptâ, Sacramentum Matrimonii legitimè ab ipsis hic contrahatur. Talis casus sæpius occurrit in hac Diæcesi.

6. Imò haud ita pridem, nempe Mense Aprili ultimo elapso in hac Diæcesi sequens adhuc evenit casus. Jacoba Gabriels Romano-Catholica, quæ sub dominio Hollandico coram Prædicatio Matrimonium ab aliquot annis contraxerat cum Jacobo Boudens hæretico, eo relicto ad hanc Civitatem venit, ut Catholicis interferviret, contendens Matrimonium istud invalidum fuisse ob irritans Concilii Tridentini Decretum: hoc ut percepit Jacobus Boudens, qui Jacobam conjugali amore sincerè complectebatur, præviè in Fide Romana instructus hæresim abjuravit, & emissâ Fidei Professione, ac Confessione Sacramentum Matrimonii in facie Ecclesiæ cum ipsa contraxit; atque Conjuges hi in hac Diæcesi domicilium figentes cum ædificatione Populi colunt modò Catholicam Religionem.

7. Etiamsi in hac Diæcesi, uti ex prædictis videre est, Matrimonia in Fœderato Belgio citra formam Tridentinam inita, habita semper fuerint invalida;

invalida ; Ego tamen anno 1719. reddens S. D.  
N. Clementi Papæ XI. rationem villicationis meæ  
super argumentis Episcopi Castoriensis Sanctam  
Sedem consului, & 31. Decembris 1720. ex Ur-  
be datum mihi fuit responsum ab Eminentissimo  
Cardinali Corradino S. Congregationis Concilii  
Præfecto, & à Prospero de Lambertino Secretario  
signatum, quod ita habebat ; „ Plura doctè, pie-  
„que dubitas de Matrimonii vel coram Ministro  
„Hæretico, vel cum altero Conjugum Hetero-  
„doxo junctis ; quæ & alias ad nos delata eadem  
„nunc, quâ jam pridem responsione diluuntur.  
„Profecto hujusmodi Matrimonia ex Tridentinis  
„Legibus, ubi istæ promulgatæ jam sunt, nulla,  
„& irrita censi debent ; Sed cum solemnitates  
„Matrimonii sint Juris positivi, videndum, an  
„Pontifici Maximo æqua sit causa aliquid in iisdem  
„immutandi. Ut autem in sua Diæcœsi ea, quæ  
„inveteravit consuetudo tolerandi hujusmodi Ma-  
„trimonia non abjudicetur, suadent gravissima  
„rationum momenta, quæ ex tuis literis comperi-  
„mus. Igitùr rem eodem relinque loco, quo ad-  
„huc fuit.

8. Quandoquidem per hanc, & per anteriores responsones, quas Eminentissimi Domini Tridentini Interpretæ dederunt, evadat notoriū, opinionem Episcopi Castoriensis Apostolici per Hollandiam Vicarii non abrogasse irritans Decretum Concilii Tridentini, aut habiles reddidisse, quos œcumenicum istud Concilium reddiderat inhabiles ; existimaveram Illustrissimum Irenseum Episcopum facile dissimulaturum cum Francisco de Booninghe Winoci Bergensi Diæcœsis

cessis suæ Orthodoxæ Fidei cultore , de quo in casibus suis S. Congregationi Concilii propositis, dum hic Duncheræ coram Parocho , & Testibus Matrimonium inivit cum Clara Hugeloors Orthodoxa, derelictâ Annâ Corneliatâ Blusie Acatholica , cum qua Ulliſſingæ in Zelandia sub dominio Ordinum Hollandiæ coram ministro Hæretico alias iniverat contractum Matrimonii , quia sustinebat juxta Tridentinum hunc invalidum esse.

9. Maximè tum , dum Calvinianus Oppidi Ulliſſiggani Magistratus Matrimonium inter Franciscum de Booninghe , & Annam Corneliam Busie contractum etiam quo ad vinculum dissolvit, eamq; ad novas Nuptias convolare permisit , ad quas re vera 13. Decembris 1735. convolavit cum aliquo Joanne Helfrick , uti mihi constat ex authenticis instrumentis apud me depositis.

10. Sed Illustrissimus Iprensis dubitabat , an Sacra Congregatio Concilii dedisset responsionem, quam ei occasione suprascripti casus submisseram sequentis tenoris „ Matthæus de Wolff „ Iprensis laicus alias contraxit Matrimonium coram „ Ministro , vel Magistratu Hæretico cum Gertruy „ de Cornelissen Muliere Hæretica Amstelodami, „ ac deinde credens simile Matrimonium non sub „ sistere , ad Catholicas partes rediit , ibidemque „ Matrimonium cum Maria de Uriende muliere „ Catholica d. Diœcesis Iprensis contraxit. Unde „ Quærit , an subsistat secundò dictum Ma „ trimonium.

Die 19. Julii 1698. S. Congregatio Concilii censuit dandum esse Decretum in Hollandiæ Matrimoniorum 23. Augusti 1681, tenoris sequentis, videli-

videlicet ; An in Provinciis Belgii confederatis  
valeant Matrimonia Catholicorum cum Heterodoxis  
contracta coram Magistratu Hæretico non obstante  
decreto Concilii in illis Provinciis publicato, & re-  
cepto, S. Congregatio censuit respondendum ne-  
gative.

II. Nunc autem cum intelligam ab Eminen-  
tissimo Cardinali de Alsatia Archiepiscopo nostro  
ex Urbe eidem Illustrissimo submissas fuisse au-  
thenticas Responsiones S. Congregationis quoad  
hanc materiam à Domino Secretario ejusdem Con-  
gregationis signatas, non dubito, quin de præ-  
memorata Response modò certior factus sit, &  
abundantem habeat materiam dubitationibus suis  
faciendi satis, & amplexurus sit doctrinam de in-  
validitate Matrimoniorum præter formam Tri-  
dentinam in Hollandia contractorum, cui doctri-  
næ, praxique immortui sunt omnes Vicarii Apo-  
stolici confederati Belgii usque ad Neerkasselium  
Episcopum Castoriensem, & quam omnes S.  
Theologiæ, & Juris Doctores in alma Universi-  
tate Lovaniensi semper sustinuerunt, exceptis Do-  
ctoribus Huynghens de Juvaen, & Van-Espen.

12. Cum nulla pars Diœcesis Iprensis sub do-  
minio Heterodoxo gemat, sed tota dependeat à  
Religiosissimo Augustissimi nostri Imperatoris, &  
Regis Catholici regimine, calus Matrimoniales,  
qui in ea occurtere possent, tantum spectant  
milites, Hollandos ibidem Præfidiarios. Circa  
hos unicè, meo quidem judicio, observare oportet  
praxim per totum Belgium Austriacum vigen-  
tem; Videlicet Pastores, & Confessarii tenen-  
tur sancto, ac prudenti conatu allaborare, ut qui  
in

in partibus Hæreticis non servata forma essentiali,  
in Concilio Tridentino præscripta Matrimonium  
contraxerant, suaviter inducantur ad illud secun-  
dum dictam formam in facie Ecclesiæ renova-  
dum, & ad Fidem Catholicam amplectendam, si  
una pars acatholica sit, quæ Majestate Divini Offi-  
cii, pietate in administratione Sacramentorum, &  
Religionis nostræ sanctitate allecta speratur coope-  
rante Spiritu Sancto in Civitate Catholica haud  
difficulter convertenda, maximè si Conjuges sese  
maritali amore sincere complectantur.

13. Vel relinquendi sunt in bona fide, in qua  
Milites Hollandos, aliosque, qui in centro confa-  
derati Belgii contraxerunt, existere facile præsu-  
mendum est, cum Episcopus Castoriensis Vicarius  
Apostolicus doctrinam suam de valore dictorum  
Matrimoniorum Hollandis omnibus per statuta  
sua inculcari mandaverit, & hæc in præsentiarum  
ibidem adhuc inculcetur.

14. Præterea attento, quod Ordines Confe-  
derati Belgii anno 1737. sub pœna Cassationis  
militibus suis Acatholicis inhibuerint conjugia  
cum Mulieribus Orthodoxis, absque dubio loris  
rerior in posterum eveniet occasio contrahendi  
talia Matrimonia, & Episcopus vix aliquam desu-  
per offensurus est molestiam.

15. Interim liceat hic reflectere, quod cum  
talia decreta Hæretici audeant condere, Ecclesia  
Romana Catholica ob eorum contumaciam meritò  
non abroget, aut relaxet legem vel in ipsa Hollan-  
dia hoc tempore observatu facillimam, quam om-  
nibus prætensis incommodis, ac suscitandis ex  
parte Hæreticorum molestiis pondere Sanctuarii  
mature

mature præviè perpensis, instinctu Spiritus Sancti stabilivit Sacroianctum OEcumenicum Concilium.

16. Graviora enim verò, & animarum saluti periculosa profluunt incommoda, si contraria ob particulares quosdam, & rariores casus Româ venirent Rescripta.

Ita dabamus Brugis Flandrorum in Palatio nostro Episcopali hac 21. Junii 1739.

L.

R E L A T I O.

*Reverendissimi Episcopi Gandavensis*

**P**RAXIS, quam induxit Episcopus Castoriensis in Hollandiam circa Matrimonia ibidem celebrata, non observatâ Concilii Tridentini formâ, nullo modo viget, neque unquam viguit in illa Dioecesis meæ parte, quæ Fœderatorum Ordinum Dominio subest. Matrimonia enim illa pergermus habere, ut invalida, nisi Sancta Sedes, quod non confido, aliter aperte declararet.

Juxta illam sententiam semper egi Ipris, & etiam nunc sic ago cum Præsidio Acatholico Teneramundæ, nequidem unquam permitto, ut Pastor, aut Missionarius assistat Matrimonio partis Catholicae, & partis hæreticæ.

U

RELA-

M.  
R E L A T I O.

*Reverendissimi Episcopi Antverpiensis:*

**N**otitiam, & praxim, quam circa Matrimonia Heterodoxorum in parte Diœcesis meæ, quæ Fœderatorum Ordinum dominio subest, successivè observatam reperi, hic reverenter subjungo.

In primis quantum ad Matrimonia, quæ Acatholici inter se contrahunt, nullum apparet vestigium, talia à sæculo, & ultra, servatâ utique Concilii Tridentini formâ, seu coram proprio Parocho ibidem fuisse contracta, utpote variis decretis diversis temporibus editis Presbyteris Romano-Catholicis sub Generalitate (ut vocant, cui duo integri hujus Diœcesis districtus subjacent) degentibus omni prorsus functione, & assistentia in celebratione Matrimoniorum severissimè interdictâ: Unde contigit, ut vel ipsi Catholici aliquandiu, imò per annos plurimos ad Viciniores Pastores excurrere, & benedictionem nuptialem exposcere coacti fuerint, donec sensim rigore illo tantisper relaxato, & mitigato per proprios Parochos denuo solemnizatio adhiberi cœpit, hac tamen nota, ut etiamnum servata cautela, ut non assistant ullorum Matrimonio, qui præviè coram loci Magistratu, aut Ministro illud non contraxerint. Tantum abest, ut Pastores nostri Acatholicos inducere, aut compellere præsumant, ut coram se contrahant, persuasi certè nulla re magis offendit.

offendi confederatos Ordines, injuriosissimum sibi arbitrantes, validitatem Matrimoniorum ita contractorum in dubium revocare, quippe qui etiam aliquando Edictis suis in contrarium editis nulla, & irrita declararunt Matrimonia, quæ coram Sacerdotibus Romano Catholicis attentata fuissent.

Eadem ferè est ratio de parte Acatholica contrahente cum Catholica, quantumvis enim allaborent Pastores inculcare, & impedire, ne pars Catholica conjugii jugum ducat cum Acatholicas, contingit nihilominus aliquos vesano amore ductos ad talia profilire, ex quo non minor Parochis suboritur difficultas, dum nequidquam ipsorum juvante hortatu, aut persuasu pars Acatholica pertinaciter ritu nostro conjungi renuit: quamvis subinde res felicius succedat, & Ecclesiæ Romano Catholicæ Legi ad complacentiam usque Acatholici se subjici patientur; prout meo tempore unum, aut forte duos casus habui, in quibus præter gravissimas aliunde caulas, ob allegatam spem conversionis dispensandum judicavi. Porro memini istiusmodi dispensationis propter decretum aliquod immediati mei Prædecessoris, quo Pastorum laxiorem in iis procedendi modum reprimere satagens strictè inhibuit tales sine speciali sua licentia conjugere.

Idem quoque Parochis imminet laqueus, dum titu hæretico conjugatorum pars una ad Fidem Catholicam convertitur, altera in hæresi perseverante, & refractaria manente. In gratiam partis conversæ quidquid possunt conferre non desinunt, licet frequentius inani conatu id fiat. Interim nulli

sunt, qui hos, aut supramemoratos à Sacra-  
torum Communione arcere præsumant, utique rati-  
eorum Matrimonia civiliter esse valida.

Neque etiam apparet ea ibidem usquam in di-  
bium fuisse revocata, saltem post tractatum Pacis  
Monasteriensis, in quo potissimum super hac  
materia pactum, & conventum fuit, ut Matri-  
monia in Fœderato Belgio celebrata, in Belgio  
Hispanico quoque valida, & legitima haberentur,  
& reciprocè ea, quæ juxta solemnia in Belgio Hil-  
panicò recepta inirentur, in Belgio etiam fœde-  
rato legitima censerentur.

Quibus omnibus attentis, junctisque simul ta-  
tionibus Reverendissimi Domini Episcopi Castro-  
riensis pro fundamento Praxis suæ olim adductis  
optandum maximè videtur, ut tandem Sedes  
Apostolica ad tollendas anxietates sæpenumerò  
exortas benigniore aliquo decreto eidem ut-  
cumque favere non dignaretur, &  
sic animarum lucro salubrius  
providere.



INDEX

# INDEX

## A.

- A**ctus introducentes consuet. quot, quales, quorum esse debeant. 274  
Actus legislatoris quando interruptum cursum consuetudinis. 280  
Argumentum reflexum ex probabilitate valoris ad valorem Card. Besozzi. 120. seq.  
Idem tractatum à Thoma Sergio. 144. seq.  
Argumentum ex paritate rationis Thoma Sergii ab exclusis à lege tridentinâ Hæreticis communatibus ejus temporis ad futuras ubilibet formandas. 141  
Argumenta decem Illustrimi Archi episcopi Cavalchini pro valore Matrimonii sine formâ Tridentini inter Hæreticos. 63. &c seq.  
Authores 22. citati ab eodem in favorem valoris 62.  
Authores 30. à P. Giulii citati pro valore. 253  
Authores citati pro valore Matr. Mixti Hollendorum. 283  
Argumentum Illustrissimi Archiepiscopi Cavalchini in utramque partem de Publicatione Trident. apud Belgas. 42. seq.  
Argumentorum in quâ de valore vis pendet à questione, quæ fuerit Mens Concilii. 150  
Juxta probataꝝ Authorum doctrinam Missionariorum tute agunt. 187  
Author Schismaticus recte citatur circa ea, quæ Schismati non favent. 26  
Argumentum Historicum, quo probat Pater Turano quod publicationem præcesserit Belgarum Hæretorum

# I N D E X

- ricorum Separatio ab Ecclesia. 167. & seq.  
Argumentum ab absurdo. P. Giulii. 244

## C.

- C**hristus reliquit Iudais & infidelibus naturale  
remedium concupiscentia licet non contractu-  
ris secundum legem Ecclesia sue. 153  
Chronologica consideratio turbarum in Belgio, qua  
probat Pater Turano Concilii Publicationem in-  
sufficientem. 165. & seq.  
**C**ardinalis Bellarminus titulo Venerabilis Servi  
Dei honoratur ab Illustimo Cavalchini. 104  
Consuetudinis legem abrogantis tres species. 174  
**C**onsuetudo etiam valet contra legem irritan-  
tem. 273  
Consensus Principis, vel Juridicus, vel Personalis,  
& hic vel expressus, vel tacitus. Ibid.  
Juridicus sufficit. 182  
Quando sit juridicus. 204  
Consuetudo Hæreticorum non conformandi se Tridentino  
fuit cum scientia Papæ. 117  
Qualis scientia, & consensus Papæ ad consuetudinem  
contra legem sufficiat. Ibid. & seq.  
Consuetudo quomodo rationabilis. 116  
Quomodo præscripta. 118  
Cuykius Ruremundanus Episcopus quid circa Matri-  
monium absque formâ Trident. initum. 32. 33  
Castoriensis Episcopus Vicarius Apostol. apud Batavos  
quid circa valorem Matrimonii sine formâ  
Trid. initum. 32  
Praxis Castori. Epis. latè defensa. 183  
Diplo-

# I N D E X

- Displicer Episcopo Brugensi.* 303  
*Gandavensi* 305  
*Quid fuerit Roma consultum Episc. Castori-*  
*ensi.* 34  
*Cardinalium Petra, & Casanate Consilium circa*  
*informe connubium.* 12  
*Confessarii consulti quid suadere debeant.* 13  
*Clandestina Matr. nullatenus constitutionibus Gene-*  
*ral. statuum tolerantur sed 3. proclamationes &*  
*duos testes requirunt.* 39  
*Catholicus transiens in Holl. ut contrahat cum Hære-*  
*tica, vel Hæreticus ut cum Catholica, ligantur*  
*Trid.* 212  
*Contrarium tuetur P. Giulii sub limitationibus,*  
*quas vide.* 291. usque 297  
*Catholici Batavi inter se contrahentes videntur nunc*  
*obligati ad formam Tridentini.* 54. & seq.  
*Similiter & Catholica pars obligatur in Holl. dum*  
*contrahit.* Ibid. & 131. 132. & 146. 147.  
*Concilii forma servanda est quoad testes, et si quoad*  
*Parochum nequeat.* 201. & seq.  
*Congregationi Interpretum Concilii non recalcitrar-*  
*dum, uti aliis Canonum interpretibus.* 85  
*Qualiter recedi possit à resolutionibus S. Congr.*  
*Concil.* 128  
*Catholicos sotos spectare legem Clandest. colligitur ex*  
*verbis Tridentini.* 113  
*Consuetudo quomodo informibus Hæreticorum Ma-*  
*trimoniis patrocinetur.* 116  
*Rationabilitas consuetudinis explicatur.* 233. seq. 276  
*Attenditur in actibus secundum se.* 171  
*Capitulum finale de consuetudine explicatur.* 177  
 U 4 Com-

# INDEX

- Commentatores Decretalium primi Innocentii  
atius, & Ostiensis.** 178
- Conditiones consuetudinis ab his optime explican-  
tur.** Ibid.
- Conditiones eadem latè explicatae.** 273
- Consuetudini an obstat mala fides.** 236
- Coloniensis Synodus anni. 1536. tuetur opinionem,  
quod sacerdos sit minister Sacramenti Matr.** 230
- Coloniensis senatus fecit publicari Concilium voce  
Preconis in plateis.** 239
- Coloniensi Vicario Gen. rescribitur quod informiter  
conjuncta procedere possit ad 2da Vota vivente  
putato marito.** 106
- Coloniensis Nuntius iussus monere Batavoros, ut pro-  
batorum AA. doctrinam sequantur circa Ma-  
trimonium.** 257
- Decretum irritans Matr. Heret. Belgij non ex-  
pedit.** 37
- Decretum Concilii Tridentini in Belgio federato in  
publicatum ad mentem Concilii sit, motiva in  
partem affirmantem. In Negantē. 43. 44. 45. & seq.**
- Decretum Illius in Hollandiā nunquam observa-  
tum, ne per unicum annum quidem.** 49
- Decretum illud ut obliget debet nedum promulgatum  
esse, sed & acceptatum sic volente Synodo.** 52
- In dubio actus standum pro valore.** 123
- In re dubiā curius est adhærere Decreto Tridentini  
dictum Gregorij XIII. expenditur.** 124
- Dubium de insufficientia promulgationis in Hollan-  
diā est rationabile & fundatum.** 53
- In dubio de valore Matrimonii doctrina probato-  
rum AA. est secura regula.** 124
- Dispens.**

# INDEX

Dispensationis tacita natura, & vis expenditur.  
78. & 187

## E.

- E**piceria quid. 151  
Dictat Legislatori humano defuisse potestatem,  
si materia fiat iniqua, vel moraliter impossibilis. Ibid.  
Dictat defuisse voluntatem per indicia, & solidas  
conjecturas. 152  
Ecclesia leges humanae infirmitati accommodat. 157  
Ecclesia ad fovendam libertatem Matrimonii in  
Synodo Trident. noluit requirere Parentum con-  
sensum ad valorem. 153  
Temperavit Decretum contra clandestina Mari-  
monia. Ibid.  
Epiceria habet locum, et si morali impossibilitati de-  
derit populus culpabilem causam. 156  
Epiceriam admittit Lex irritans. Ibid.  
Edictum statuum generalium circa Officium S. Gre-  
gorii VII. ad Instantiam fansenistarum. 37  
Edictum eorundem irritans Matrimonium Officia-  
lis militaris reformati cum Catholica. 40  
Error & ignorantia non reddit testamentum solene-  
ne quod erat insolenne. 238

## H.

- H**æreticis non ideo favisse censendum est Tri-  
dentinum quod legi sua eos non obstrin-  
xerit. III. § 114  
Helveti intra Romanum non Romano, sed Helveticam  
mere romanam inchoant. 142  
**U**s  
**H**eresis

# INDEX.

- Hæresis baptizati non est Impedimentum dirimenti Matrimonium, sed prohibens.* 3  
*Hæresis Materialis, & formalis quid.* 154  
*Hæresis non eximit hominem baptizatum ab Canonum observationibus.* 61. & 214  
*Inter hereticos nationales, & personales Apostataentes discrimen.* 176  
*Hæretici sine formâ Tridentini an contrahant validè, si patet accessus ad Episcopum, vel Parochum Catholicum v. g. in Gallia, Palatinatu,* 62. 63. 82. 83

## I.

- I***Mpedimentum afficiens certum genus personarum effectu differt ab eo, quod omnes afficit.* 157  
*Intrusus Prælatus nulliter dispensat super Impedimento dirimente.* 90  
*Initum coram Parocho Instituto ab intruso Matrimonium valet, si accessus non datur ad legitimum.* 90  
*Infidelium Matrimonia sub legibus Domini temporalis etiam quoad valorem.* 158  
*Inhumanum esset populos hereticos sine vero Matrimonio relinquere, seu olim, seu nunc sint.* 159  
*Impossibilitas moralis non est privati Judicio mensuranda.* 157  
*Impossibilitas moralis debet esse consummata.* 171  
*Impedimenta absoluta, & relativa quomodo differant.* 193. & seq.  
*In quest. de Imped. dirimentibus consuetudo particularis Ecclesiarum attendenda.* 185  
*Impedimenta dirimentia ligant hereticos.* 233  
*Imma-*

# I N D E X.

- Immunitas hæretorum in Belgio fœderat. ~~et~~ localis. 288  
 Ignorantia legis non facit habilem ad actum irritatum. 237  
 Jurisdictio reipsa deficiens quomodo ab Ecclesiâ suppleatur à probabilitate operante. 255. & 256  
 Impossibilitas particularis non justificat Matrimonium informe. 246  
 Irregularitas nulla notatur Romæ in Filiis hæretorum informiter copulatorum. 258  
 Jus naturale vetat connubia Catholici cum hæreticâ. 260. & seq.  
 Loci incola ligatus Trid. vel exemptus, ligat, vel eximit advenam circa Matri. 296

## L.

- L**Ex non manet Lex, si utilis esse desinat. 136  
 Lex Trident. contra clandestina Matr. non extendenda ad hæreticos. 106  
 Lex duabus: Epickeiâ, & interpretatione restrin-  
gitur. 110  
 Interpretationem justam faciunt tria: ratio legis,  
materia legis, & ut vitentur absurdâ. 107  
 Juris N. & G. interpres ex Grotii principiis eadem  
monent in legibus, & pactis. Ibid.  
 Applicantur hac tria ad legem Trident. de Clandest. 108  
 Incivile est judicare de lege, lege non perspectâ. 113  
 Cessante sine cessat Lex. Quomodo verum? 120  
 Lex

# INDEX

- Lex temperanda ab majora mala.* 216  
*Legis conditiones ex C. erit autem dist. 4.* 159  
*Legiones Hollandicae extra Hollandiam gaudent jure Patria.* 127  
*Leges loci quando non obligent Peregrinos, & aduenas.* 127. & 128  
*Miles Catholicus legionis Hollandicae in loco ubi Trident. publicatum, & Parochus habetur, obligatur ad formam Tridentini.* 134  
*Non obligatur fuxta P. Giulii, si cum fœminâ ad legionem spectante contrahat.* 285. & 288  
*Litteræ legis, & mens Legislatoris attendenda in lege.* 238  
*Lex irritans afficit ignorantes et si non peccent.* 74. & 211. 156  
• *De Legum cessatione.* Vide lit. T.  
*Transiens in locum non recepti Trid. in fraudem legis quando contrahat valide.* 292

## M.

- M**issionariorum quorundam Praxis renovandi Matrimonia, dum utraque pars convertitur. 35  
*Quidcirca Matrimonium initum absque forma Concilii Trident.* 32  
*Missionariorum communior, & ordinaria praxis declarat sine scrupulo valida esse Matrimonia conversorum.* Ibid.  
*Matrimonium Catholici cum heretica invalidum quoad effectus civiles in Gallia edicto regio. 19. 20*  
*Minora mala sapienter permittenda, ut videntur majora.* 111  
Secta

# I N D E X.

- Sacramentum à contractu separari posse in Matrimonio, quinam doceant. 230. & 231  
 Matrimonii ministrum esse Sacerdotem, ut Sacramentum est, quinam doceant? 230  
 Mutata quando, & per quid dicatur Provincia, vel Respub. 239. & 240  
 Matrimonia mixta in Hollandiâ contracta sine forma Trident. valida juxta P. Giulii. 267. & seq.  
 Contra ea sic contracta noluit adhuc Papa Pronuntiare. 282  
 Matrimonium irritum ob clandestinitatem obtinet vim Sponsaliorum. 289  
 In Matrimonium transiunt Sponsalia, per copulam, ubi Trid. non ligat. 290  
 Matrimonium quomodo subdit legibus Principum. 290  
 Matrimonia esse civiliter valida censet Episcopus Antuverp. 308

## O.

- O**ppositorum opposita non est ratio, sed eadem, si utrobique eadem incommoda. 113  
 Obstaculum fecerunt publicationi Trident. in Belgio Ecclesiarum Prelati, & urbes adhuc Catholica. 114

## P.

- P**robabilitas intrinseca, & extrinseca quomodo valori Matrimoniorum ab hereticis contractorum conveniat. 120  
 Inter probabiles suadetur ab Urb. VIII. favorabilior populis. 186  
 Probabilis potest preferri probabiliori post Marr. Consummatum. 13. & 80. 81.  
 Etiam, dum adhuc contrahendum. 71

# I N D E X

- Probabilitati intrinseca quando non obstant resolutio  
nes S. Congr. C. 121
- Probabilitatis certitudo de valore Matrimonii  
quem effectum habeat. 122, 123
- Probabilitati opposita censentur Matr. Contrahentium  
renuntiare. 123
- Probabilis opinio quomodo fiat tuta. & certa. 255, 256
- Papa potest convalidare Matrimonium irritum jure  
Ecclesiastico. 15
- Papa obligatur ad declarationem in gravi dubio fide-  
lium. 134, 135
- Papa soli competit authoritas definiendi questionem  
de valore. 33
- Parochiæ voce quid significet, & intelligat Trident. 238
- Parochus Hæreticus non est censendus verus Parochius. 6
- Parochi presentia non exigitur ad valorem, ubi nul-  
lus inveniri potest, & el tutus accessus non patet. 5
- Paroch. an pure ñc testis assistat ad notorietatem actus. 77
- Parochus an sit minister Sacramenti Matrimonii. 35
- Contrahentes corā Parocho invito ad quid teneantur 35
- Putatius Pastor quando sufficiat ad valorem. 25
- Præsumptio, quod legislator noluerit comprehendere  
talem populum. 20
- Permissiva, & Approbativa Tolerantia. 185
- Philippi 2di egregium studium publicandi Decretum  
Trid. 41, 218, & seq.
- Vox populi vox Dei. quomodo suffragetur Ma-  
trimonio Hæreticorum. 121
- Publicatio Tridentini iussu Philippi 2di tentata sevi-  
entibus turbis Batavorum, qualiter id probet  
Em. Card. Mechlin. 26 & seq.
- Publicatio an facta si juxta mentem Concilii 30. 222
- Publicatio in Parochia per 30. dies facienda quid  
significet. 238

# I N D E X

- Præscriptio Domini, consuetudinis differunt. 178. 210  
 Resolutio Papalis circa Matr. Protestantium quomodo  
     concipienda iuxta Em. Besozzi Consilium. 137. 138  
 Patris Thomæ Sergii de eadem re Consilium 145  
 Pat. Turano desuper Consilium. 188  
 Patris Giulii de eadem re Consilium. 259. 298  
 Resolutiones S. Congregationis vel generatim circa  
     legem, vel in particulari versantur; Illæ, non  
     verò haec vim legis habent. 250. 252  
 Regula Juris 81. in generali concessione non veni-  
     unt ea &c. explicatur. 109  
 Regula Juris in dubio actus standum pro valore. 123  
 Regula Juris ad Impossibile nemo tenetur expli-  
     cata. 246  
 Reg. in dubio an lex obliget standū pro libertate. 53  
 Regula Juris. in Dubiis temita eligenda tutior  
     explicat. 124  
 Regula Juris ult. certum est, quod committit in le-  
     gem, qui legis verba &c. expenditur. 162  
 Regula Juris favores ampliandi &c. expli. 270  
 Rota resolvit pro valore Matrimonii contracti Secun-  
     dum rationes probabiles. 123  
 Reges mortales respub. æterna quomodo verum? 239  
 Resolutio de duobus casu in Angliâ contrahentibus  
     fine formâ Trident. pr. valore. 87. 88  
 P. Raynaud: τῆς πολυγαφῆς solidæ doctrina de Matrim.  
     Hæret. in Galliâ 81. & seq.  
 Resolutio S. C. C. iterum contrahendum, si Catholicus  
     cum Hereticâ informiter contraxit, ubi aliquo  
     tempore observatum est Concil. & tutus accessus est  
     ad Parochum. 89  
 Resolutio Matr. Indianorum idem pleniū. 90. 91  
 Revalidatio coram Parocho, & testibus prudenter fit  
     secreto. 91

# INDEX

Resolutiones Varia S. C. C. annullantes contractum  
Cath. & Haret. informiter. 97. Octo.

## S.

**S**ententia declaratoria nullitatis Matrimonii  
quæs. effet nosiva. 37

Schenckius Primus & unicus Archiep. Ultrajectum  
quid in publicationis negotio egerit. 221

Sasboldius Vicarius Apost. & Rovenius, quomodo pub-  
licationem curarint, Ideo exulare iussu

Suffraganea quinque Diæceses Hollandica quid ad p-  
blicandum Decretum Concilii. 28. 23

Sacramenta non neganda conjugi converso, Alte-  
manente in heresi. T 3

**T**ridentini Patres noluerunt addere, quod teste  
debeant esse fide digni, 110

Theologi Nationales de legum usu, & abuso praexte-  
teris inspiciendi. 25

S. Th. Aquin. Method. judicandi de legum cessione. 160

Hæc Methodus inapplicabilis Hereticis juxta Thom-  
Sergium. 140

Optime applicabilis juxta Cardinal. Besozzi. 119. 136

Idem juxta Patrem Turano. 156. 157. 160

## V.

**E**x Vero simili quomodo Mens Legislatoris qua-  
renda. 246

Voces legum significant vel naturaliter, vel civiliter,  
quomodo. 242. 243

Vagi Parochium loci, in quo sunt, habent pro parocho  
proprio. 130


Quare Paroch. verè non prop. vagis fiat proprius. 247

Vagorum, & adverarum jure minime censentur  
præsidia, legiones, sed legibus Patriæ regulantur. 190

Valor quomodo infit aëtibus illicitis. 203

FINIS.

ctum  
Ses  
moni  
37  
ectim  
221  
do P.  
adp.  
2.23  
alte  
3  
teſte  
110  
e ex.  
25  
e.160  
hom  
140  
9.130  
160  
qua  
246  
liter  
243  
ocho  
130  
247  
neht  
190  
203







Th

2217

30